ista TUÆ *diligentiæ*, TUI *ingenii fructus amplectetur Lector. Sin autem nonnulla adjecta forent, quæ ad palatum uniuscujusque non adaptata, quæ longius temporis spatium ad elaborandum forte requisivissent, quæ ipse ego alio hinc inde ordine, qui arbitrarius est, tractavissem, si quædam, aliis visa omnino ad rem facientia non ita plene tacta; Ipse* TU *partim optimè aliâ, quod novi, occasione supplebis emendabisque, (dignum enim est argumentum disquisitione exacta) partim & in rerum præsentia mascule, ut spem concepi, defendes. Nec hæc mea me spes fallet; à primis enim nostræ jurisprudentiæ fundamentis per* TE *jactis assiduum* TE, *alacrem, conjungentem jucundum (i. e. humaniores literas) cum utili ac necessario, & in ordinem ea, quæ percepisti, digerentem subinde deprehendi. Age ergo: Institue certamen hoc literarium. Fiet deinde, quod speras; atque in peculiare Prænobilissimi Domini Parentis solatium & decus ejusmodi etiam præmia* TE *excipient, quæ unà cum studiis prudenter directis bene compositi merentur mores. Vale. Dab.* XVII. *M. Septembris*, MDCCXXXII.

XII.

DISSERTATIO
DE
JURISPRUDENTIA PRINCIPUM, ORDINUMQUE S. ROM. IMP. GERM. PRIVATA.

Pro loco à

JO. JACOBO HELFFERICH, J. U. D.
Ejusdemque modo Prof. Publ. Ordinario Seren. Wurtemb.
Ducis Consiliario, supremique Provocation. Tribunalis Assessore,
defensa, Respondente
JO. FRID. HIEMERO,
Supremi Dicasterii Würtemb. Advocato.

TUBINGÆ, 1730.

§. I.

HAbet & hoc GERMANIA, Patria dulcissima, præ omnibus pene aliis Europæ Regnis & Imperiis præcipuum, nec immerito in peculiari sua felicitate refert, quod, quemadmodum Jura, Regimen Ipsius publicum spectan-

ſpectantia, in univerſum, ſic cumprimis quicquid Libertatis, Poteſtatis, & Præeminentiarum publicarum PRINCIPIBUS ejus PROCERIBUSQUE competit, publice profiteri, liberiorique ſubinde animo ſcribere ac docere, liceat omne *a.*) Modo debitæ intra Moderationis terminos hoc fiat, AUGUSTISSIMO-

a.) Ut mirum hoc videatur quibusdam, Exteris præſertim, rerumque noſtrarum parum gnaris; Alii tamen, his ſagaciores, idem *peculiares rationes ſingularemque Imperii Romano-German. formam* facere, mox ſubodorantur. Et enim vero in tam vaſto, quod Germania refert, Imperii Corpore, cùm *non unius* pro arbitrio res omnes geri ſpectentur, nonnullisque negotiis anima ſolus quidem *Imperator*, aliis ſimul & *Electores*, maximisque junctim omnes, & *iſti*, & *reliqui Status*, *Principes*, *Comites*, &c. exiſtant, obſerventurque; tùm denique *poſterioribus* hiſce, præter hanc, quam habent, Reip. partem, domi ſublimia ſua Territorii Jura adhuc ſalva ſint, maneantque; Ecquis non multum *irregularitatis*, ſive, (ut in gratiam eorum, quibus locutio hæc forſan nimis dura, ſuſpecta, monſtrique plane aliquid alere videtur, mollius dicamus) *ſingularia* & *extraordinaria* benè multa deprehenderit? *conf.* quæ ſcripſimus in *Diſput. de Fictit. Diſtinct. Terrar. Germ. in mediat. & Immed. cap. I. §. 1. lit. a. & c. It. §. 6. lit. i.* Jam autem, recte obſervante JAC. BRUNNEMANNO in *Exam. Jur. Publ. Lib. I. cap. 1. qu. 6.* quo laxior eſt imperandi vis inter illum, qui Caput agit in Republ. ejusdemque Membra & Ordines; hoc amplior ſubinde materia ſuppetit, ad diverſa utriusque Partis Jura, tum & ad *mutuam* quaſi *neceſſariamque renitentiam* delineandum. Quid? quod ipſam hanc Germanici Regiminis *ſingularitatem*, LLbus & Obſervantiâ ſatis declaratam, quâ nimirum Principes ejus Statusque in Societatem concurrunt univerſi, verique *Co-imperantes* ſunt, ac idcirco etiam notabili elogiô: Eingeleibte Glieder der Majeſtät, cluent, non facere hoc & admittere ſolùm, ſed ſuadere plane, poſcere ac præcipere putemus; quò ſolicitius ſc. omnia ſeparentur, tùm & ſuum unicuique eo certiùs conſtet. Atque hæc demum vera cauſa *liberioris hujus Studii* longe nobiliſſimi *in Germania cultura*. Quam tantum abeſt, ut ullius hactenus Principis verecundia vel interceſſio retardârit, ut potius Scriptores illius identidem incitati fuerint, indiesque magis animentur, ad omnia quæcunque, alibi inter Imperii arcana referri ſolita, aperto velo publicanda, quàmque fieri poteſt, ſolidius ſemper diducenda. Quô & illud tandem effectum, ut *Doctrina Juris Publ.* ex omnibus recentioris ævi Imperiis ſolos apud Germanos in *peculiarem Diſciplinam* ac magnam modo artem evaſerit, interque inanes atque tantum

tantum non absonas quæstiones merito nunc & illa referatur, quam quidem multa olim severitate legimus agitatam, cordatiores vero subinde riserunt: *Utrum* sc. *in Academiis docere liceat Jus Publicum?* Quemadmodum quoque, sicubi Publici alicujus Juris mentio occurrit, *Germanicum* κατ' ἐξοχὴν intelligi suevit. Præsertim cûm alibi Gentium nil hujusmodi reperiatur. Non equidem defuerunt unquam, magnoque etiamnunc numerô circumferuntur *Rerumpp.* & aliarum *Descriptiones.* Verùm, si ea forsan exceperis, quæ de Anglicis, Polonicis item atque Suecicis modo (post denuo mutatam hujus Regni Formulam) rebus, (utpote in quibus pariter aliquale Ordinum *consortium*, (sive, quod aliis magis placet, quidam in *Majestatis Exercitium Influxus*) idem licet illud ubique a Germanico nostro toto, quod ajunt, cœlo diversissimum, conspicitur, *conf.* omnino *Commentat.* egregia *Halæ Saxon.* nuper recusa *Ill.* BERNH. L. B. de PLESSEN de *Libert. Germanica vulgò* von der alten Teutschen Freyheit *cap. III. §. 6.*) tradi possunt, omnes fere plerique hujus generis libelli aut ita comparati deprehenduntur, ut secure in omnibus fidem illis adhibere haut liceat, aut nimis jejuni sunt, ac maximam partem præter *Historiam*, *Genealogiam* item atque *Geographiam* &c. perpauca ad *Notitiam Status Publici* facientia; tum & illa non nisi per indicem quasi, pandunt, & vel eapropter nec nomen alicujus Juris Publici, *stricte sic dicti*, merentur. Quantumvis *indistinctim* titulum hunc nec istis invidendum censuerint ex ipsis Nostratibus quidam, paulo liberaliores, integros ideo Catalogos Scriptorum Jurium Publicorum *Hispanici*, *Lusitanici*, *Gallici*, *Anglici*, *Danici*, *Helvetici*, *Belgici* &c. texere conati. vid. præ aliis *Illustre olim hujus Eberhardinæ Decus* B. ERYC. MAURITIUS in *Diss. de Principiis Juris Publ. Germ. cap. 2. §. 2. sqq.* PHIL. item REINH. VITRIARIUS in *Instit. Jur. Publ. Proœm. §. 1. sqq.* ibique in *Additionib. suis* luculentissimis *Vir quovis dudum elogiô major*, JO. FRID. PFEFFINGERUS, nec non *Cel.* D. BURC. GOTTH. STRUVIUS in *Biblioth. Jur. sel. cap. 15. per tot.* Neque vero hæc dum monemus, ea illud fini fieri quis autumaverit, ac si Exteris eo nomine imperitiæ quicquam vel oscitantiæ affricare exprobrareve velimus; Absit id quidem abs nobis longissimè! Absit omnino, solos ut Germanos nostros duos oculos habere, reliquos coclites arbitremur, fastu quodam plus quam Sinicô! Alit quævis alia terra Viros multæ eruditionis, ingenii ac industriæ laude clarissimos, danturque & alibi locorum, qui, uti omnium Rempubl. regendi vel administrandi artium callentissimi atque πολιτικωτάτοι; sic, quâ opus est scriptione, præsertim publicâ, ita graviter, ita juste, eaque cum ἀκριβείᾳ munere suo defunguntur, ut non Populares tantum suos, sed & alios, ejusmodi deliciarum arbitros, Lectores, haud

raro in admirationem rapiant. Exempla, fidem rei facientia, permulta in promtu sunt, quorum vel ex novissimis unum saltem alterumve & nos impavidi hîc in medium proferremus, nisi à scopo nimis aberrare, & extra oleas quasi vagari videremur. Plane aliam igitur *retardatæ* hujus seu *impeditæ apud exteros tractationis* rationem cogitare oportet. Et hæc autem confestim sese exserit, neque fugere potest illum, qui Statum Germaniæ, uti eum modo adumbravimus, cum cæteris Europæ Regnis & Imperiis paulo penitius contulerit. Jam etenim ubi vis Imperii vicissim penes *unum in individuo* est, aut *penes Collegium sive* Optimatium in Aristocratia, *sive* Populi in Democratia, sola atque tota sedet, verbo: ubi Ordines vel plane à Regimine *exclusi* sunt, *vel saltem pro talibus reputantur*; ibi sane multum de Jure quodam Publico loqui velle aut scribere, idem foret, ac vel operam conterere frustrà, vel & ea forsan tangere, quorum cognitio exactior aut divulgatio intempestiva res delicata, facileque suspicaces Imperantium animos offendere potest. Adeo ægre cætera extra Germaniam Regna, Provinciæ ac Regiones *Statuum* suorum *Notitiam*, *Publicam* vero *Doctrinam* nullatenus admittunt. Atque sic, ut ad vicinam modo *Galliam* respiciamus, quos primum Regiæ potestatis limites *LUDOVICUS* XI. eo provexit usque, ut de Ipso postea dicterium natum fuerit: *qu'il avoit le premier mit les Roys hors de page;* (de quo vid. magnum illud Gentis suæ Ordinisque sidus *P. GABR. DANIEL dans son Historie de France Tom. IV. Edit. Amstel. p. 412.*) Successores ejus sensim, artibus comprimis *RICHELII* atque *MAZARINI*, Cardinalium, Ministrissimorum, eam demum ad ἀκμὴν perduxerunt, ut, suppressâ & tantum non ad privatorum causas restrictâ Parlamentorum auctoritate, præter Deum & Ensem, nullos Rex hodie, nisi *Simulatos Regni Pares*, agnoscat, Comitiali quidem Jure multisque olim Prærogativis instructissimos; juxta ea, quæ ex Libro pereleganti atque erudito ANT. DAD. ALTESERRÆ *de Ducib. & Comit. Provincial. Galliæ, eorumque Orig. Increm. & Regal. usurp.* addiscere licet, quæve ejusmodi omnino fuere, ut persimile quondam hac in parte Imperio nostro German. Galliæ Regnum statuere nullus dubitaverit B. Vir NIC. HERTIUS *de Special. Germ. Rebuspubl. Sect. I. §. 1. in f.* Ibi igitur, cùm dudum omnis regnandi ratio solenni illâ quinque vocabulorum formulâ: *CAR TEL EST NOTRE PLAISIR*; prodita sit, quid opus multis? Quis vero & citra crimen vetera Procerum Jura, tanta oblivione sepulta, ex tenebris excitaverit? Idem censendum de Regnis *Hispaniæ*, *Portugalliæ*, aliis. Quin eâdem ex ratione *Batavi*, qui subinde *esse* malunt potentes, quam videri, liberiori quidem Doctrinæ Juris *nostri Germanici* Publici in Scholis suis indulgent, in iis autem, *quæ ad statum proprium*

SIMOQUE ante omnia CÆSARI, quæ Cæsaris sunt, tribuantur unà, vindicentur, reliquanturve. *b.*)

§. II.

prium faciunt, providi, manus ligant, retinentque operas eorum, quibus intimior Regiminis sui residet notitia. Sed & eodem fere instituto quasdam Italiæ Respp. ac ex iis *Venetam* præprimis, Status sui leges, ne aliis innotescant, populumque forsan moveant, pro mysteriis venditare suevisse, subinde observarunt curiosi. Et quàm denique periculorum plena res nunquam non fuerit omnis ejusmodi scriptio incauta, fatis suis abunde experti leguntur, innocentibus licet librorum titulis incedentes, ex Gallis FRANC. HOTTOMANNUS, JCtus ille cetera egregius, apud Anglos succumbente Rege, CLAUD. SALMASIUS, eodemque restituto Jo. MILTONUS, apud Lusitanos ANT. de SOUSA, apud Scotos GE. BUCHANANUS, ex Bohemis PAUL. STRANSKIUS, ex Belgis magnus ipse HUGO GROTIUS, ANR. HOUTOVINUS, alii; apud Danos Legatus Britannicus MOLESWORTHIUS, & in Suecia præter ARN. & JO. MESSENIOS, famosus cumprimis MICH. WEXIONIUS, *Gullenstolpe* deinceps, post acceptos Nobilitatis honores, dictus, cujus libellorum, inventu hactenus difficilium, uni, cui titulus est: *Epitome descriptionis Sueciæ, Gothiæ* &c. nuper raritatis pretium detractum, ex quo inter *Collectionem* suam *Monumentor. veter. & recent.* eundem recudi curavit *Cel.* Vir Historicus, νῦν ἐν ἁγίοις, D. SIM. FRID. HAHNIUS *Tom. II. n. 2.* Exempla satis Illustria! Quibus facile Catalogum *Commentationis suæ* nuperæ *de Libris Authoribus suis fatalibus*, adaugere potuisset *Clariss.* M. JO. CHR. KLOZIUS.

b.) HUIC etenim licet non omnis sit potestas, maxima tamen ubique auctoritas est, sive quædam Majestatis Jura *solum* exercentem respiciamus, sive ad ea quoque intueamur negotia, quæ *Eidem* non nisi *Comitiali*, eoque *communi Statuum consensu*, perficienda; Ubi sane quantum conferat in deliberando decernendoque, usus satis docet ac experientia. Atque licet *Idem* pro *absolutô Monarchâ* haberi *neque* possit, propter Leges Imperii, quas vocant, fundamentales Publicas, neque Ipsemet velit (iusto nimium quippe adulandi studium Aulæ ipsi Imperatoriæ nunquam non exosum fuisse constat) *Caput* tamen est, idemque Superioris nescium ac independens, idemque verum non solùm, sed principalius plane Majestatis Subjectum, quod & ideo Status ceu Membra omni obsequiorum, officiorum & devenerationis genere prosequi decet. Quantò itaque gravior fuerit temeritas atque injuria, cum famoso illo obtrectatorę, ANDIO SINE BONO ſ. JOANNE BODINO,

§. II.

Labor etiam is fuit communis omnium, quotquot à lapsô inde fere seculô in illustranda Parte hac Jurisprudentiæ Nobilissimâ desudarunt, atque vel justos plane Commentarios ac Systemata, vel & Introductiones saltim & Compendia dederunt. *a.*)

§. III.

lapideo item illo HIPPOLYTHO à LAPIDE, aliisque ejus generis Scriptoribus virulentis, AUGUSTISSIMUM CÆSAREM nostrum nomen rebus inane tantùm, simulacrum duntaxat, Umbram saltem, nudum magistratum, Senatusque Imperii Præsidem ac Directorem, quo, ceu instrumento, Principes & Status sub Splendore quodam & compendiò, Reipubl. negotia expediant, quive nil nisi Regis pompam exprimat &c. vel fingere saltem, nedum serio statuere! Quantò vero etiam justiores semper quærele fuerunt de Libertatis istius in Germania nimietate, qua hostes & amici, peregrini & Cives, eruditi ac rerum prorsus ignari, pessimas quasque opiniones de Publicis Patriæ Juribus proferre nulli verentur. *Adsit* potius, ut verbis utamur *laud.* VITRIARII *in Proœm.* §. *18. modestia, ac reverens & de Imperatore & de Statibus Sermo; Effrenis quippe cujusvis dicendi licentia Reip. semper exitiosissima extitit.*

ad §. 2.

a.) De quorum paucitate ac penuria tantum abest, ut conquerendi locus sit, ut potius nulla ferè Legitimæ Scientiæ pars majori Scriptorum mole laboret, atque illa, quæ *Jus* nostrum *Publicum* spectat. Quemadmodum quoque isto cumprimis nomine insatiabile scribendi cacoëthes Germanis suis falsissime exprobravit *personatus* quidem ille, sed nemini modo ignotus SEVER. de MONZAMBANO *in Epist. ad* LÆLIUM TREZOLANUM, *fratrem*, præmiss. *Tr. de Statu Imp. Germ. p. m. 12. edit. Thomas. novior.* Recensuit Authorum eo pertinentium præcipuorum operas, ingenuèquè judicium de singulis suum exposuit, qui mutatis literis SULPICIUM sese scripsit, ILL. olim JOH. GE. CULPISIUS, edita peculiari *Dissert. de Studio Jur. Publ. recte instit. & de Scriptor. eò pertin. 1688. 8.* dignâ sane, quam suppleret & ad nostra usque tempora perduceret aliquis, argumento huic par & sufficiens, præsertim, si, quam & sibi *idem laudatiss. Vir pag. 14.* præscriptam voluit normam, cum libertate quadam hoc fieret, sed innoxiâ eâ, & ab omni verborum atrocitate re motâ? Rusticitatem enim in judicando scribendoque, quibusdam modo solennem, quâ non mortuis solum, sed & vivis adhuc Leonibus insultare gestiunt, quis probaverit sanior, quis bonus non execretur?

Legi

§. III.

Sed & hos inter bene multos laudare liceret, qui Juribus istis Principum ex instituto, quod ajunt, exponendis declarandisque multam eandemque insignem omnino operam collocarunt. *a.*)

§. IV.

Atqui hæc licet undique satis edissertata sint, non tamen eâdem adhuc ratione comparatum cum *Jurisprudentia* Eorundem *privatâ*, quippe quæ omnium maxime hactenus jacuit inculta, *a.*) nec nisi paucos, eosdemque *Singularium* saltem

Legi interim merentur, quæ desuper prodidere *Duum Viri* Celebb. D. BURC. GOTTH. STRUVE *in Biblioth. Jur. selecta cap. 14. per tot.* atque D. JAC. CAR. SPENERUS in dem Teutschen *Jure Publ. L. I. Cap. XIII. per. tot.*

ad §. III.

a.) Primum in iis locum olim tulit B. nostri NIC. MYLERI ab EHRENBACH libellus de *Principibus & Statibus Imp. Rom. Germ.* tantæ quippe commendationis authoritatisque, ut non alius magis aptus, in Aulis etiam Magnatum, erudiendis ac ad publicum aliquando Regimen formandis Principibus Juventutis, haberetur. Quem secutus deinceps JO. WOLFFG. TEXTOR in spissiori Volumine: *De Jur. Publ. Stat. Imp.* Longius tamen progressi, altiusque ascendere visi J. W. RELFENDSO HEROMONTANUS, s. quod verum ejus nomen est, JO. WOLFFG. ROSENFELD ab HELDENBURG in Tr. *de Summa Princip. Germ. Potestate 1669. in 12.mo.* nec non famigeratissimus Author, qui sub ficto CÆSARINI FURSTENERII nomine latere voluit, Tr. de *Jure Supremat us Princip. Germ. 1678. in 8.* uterque licet diversum sibi præfixerint scopum, diversamque eapropter etiam viam uterque iniverint. Ex recentioribus multorum attentionem excitarunt *B. V. Ill.* CHR. THOMASIUS ob editam Disquisit. peculiarem *de Injusta Opposit. Jur. Majest. Superiorit. Territor. & Reservat. Imperat.* nec non Celeb. D. JO. GUIL. GOEBELIUS propter Disp. *de Jur. Procer. Imp. Majest.* Plures alios cui nosse est volupe, recenset STRUVE *d. l.* §. *19. seq.*

ad §. IV.

a.) Commonuit id ipsum jam ante nos, observavitque ILL. modo *Lipsiensium Antecessor primarius* Dn. MICH. HENR. GRIBNERUS in Diss. *de Præjudiciis Princip. Imp. ex Abusu Juris Justin. Cap. II. §. 1. lit. b.* ubi *nobilissimam hanc Disciplinam* adhuc idoneum Interpretem expectare, neminemque hactenus fuisse scribit, qui ambitum ejus omnem complexus sit, atque capita, eo pertinentia, distinxerit accurate à Jure reliquo *publico* & *privato*, nisi

nisi quod *Generos.* quidam Dn. JO. GEORG. de PONIKAU vestigia Præceptoris sui B. GOTTL. GERH. TITII (videlicet in *Specim. Jur. Publ. lib. I. C. I. §. 42. seqq. & lib. IV. c. 9.*) secutus primas duxerit lineas, in Diss. (Lipsiæ habita) *de Conditione Statuum Imp. privata;* Quæ nobis quidem, dum hæc scribimus, nondum visa; interim tamen minime prætereundus, qui & isto affectus desiderio, manum rei aliquatenus admovit, aliorumque ipso hoc industriam provocavit, CEL. DN. DIET. HERM. KEMMERICHIUS in plena bonæ frugis *Introd. ad Jus Publ. Imp. Germ.* cujus *Lib. fin. VIII.* cum maxime huc spectat. Cæterum quando *laud.* DN. GRIBNERUS *ibid. §. 2.* causam ejus, quod minus *de hac*, quam de reliquis Jurisprudentiæ Illustris partibus, exornanda laboraverint JCti, præcipuam in inani illa multorum persuasione positam arbitratur, ac si *Principes inter se utantur Jure Privatorum* i. e. (uti Ipsemet interpretatur) Justinianeo, atque adeo præter LLum Roman. peritiam, nulla alia Disciplina hæc requirat præsidia; In eo Idem *indistinctim* locutus, nobis, quod pace Ipsius dixerimus, nimius esse videtur. Tametsi enim, quod nemo Historiæ Juris Literariæ vel parum gnarus, negaverit, revivescenti illi in Italia primum, ac in Germaniam demum propagato *Romanorum Juri Civili* singularis hæc obtigerit felicitas, ut brevi fere communis uni eaque norma ac Regula evaderet, qua Cultores Illius meriti, quicquid unquam de Jure vel disputabatur vel quærebatur; Atque licet ejus dehinc eò creverit usque amor & authoritas, ut non solis amplius Privatorum causis dirimendis adhiberetur, sed & Ipsos plane PRINCIPES tangentium Controversiarum, qua *publicarum*, qua *privatarum*, decisiones *unicè* ex illo quasi fonte haurirentur, *conf. infra scripta.* Hoc tamen de primis solummodo temporibus intelligendum, istique demum ævo tribuendum, quo cultus nominis Romani parùm a superstitione adhuc remotus fuit, eodemque, uti omne, quod absolutum, quòd incomparabile dici potest, contineri; sic quoque Justinianeum Juris Corpus, ceu *rationem naturalem, omnibus in Orbe hominibus imperare*, cum BALDO & JASONE, GLOSSATORUM PRINCIPIBUS, credebatur, quove quam maxime regnabat *authoritatis Præjudicium*, & quo, ut liberè dicamus, revera alia præsidia adhuc ignorabantur, deque alio fundamento, quàm *Jure Rom. & Canonicô*, ne fando cognitum erat quicquam. Ut autem primùm benigniora illuxere sidera, atque, semel invalescente cumprimis solidiori *rerum Moralium cognitione*, ipsa rationis, quæ sanior eadem dictitat, præcepta, curatius investigari & attendi, quid? quod præeuntibus liberalioribus quibusdam Ingeniis, sic tandem excoli cœperunt, ut ad exornandam novam Disciplinam (*Jus natura & Gentium* indigitamus) eandemque indies politiorem & ad Civilem usum accom-

accommodatiorem reddendam, undique, signo quasi dato, Viri concurrerent præstantissimi; *Porro* ubi aliam omnino faciem induit *Civilis* quoque *Prudentia* s. *Politica*, persterilis antea ac tantum non otiosa, mereque Aristotelica, jam vero nobilior illa, veram scil. *Rerumpp.*, *humana* item *Natura*, *affectuumque* & *negotiorum humanorum* indolem exhibens; Denique ubi ipsa hæc Romana Jurisprudentia eos non solum tùm Alumnos, tùm Interpretes, nacta fuit, qui elegantiori literatura excellentes, ex *Antiquitatibus* potissimùm & *Historia*, suppetias insignes tulerunt, contemtim ea propter quidem ab aliis, sed epitheto in se satis honorifico, HUMANISTÆ vocati, (qua de re legi meretur *Præfatio* plane egregia, quam CEL. VIR, *JCtus & ipse humanissimus*, Dn. JO. GOTTL. HEINECCIUS, comtissimo suo, tertium modo recuso, Libro de *Antiquit. Rom. secundum Ord. Instit. digestis* præmisit.) *Sed &* his tandem supervenere, qui, moderatâ paulisper veteri illà erga peregrinam LLationem reverentiâ, justum non minus & *Patriis* nostris *domesticisque LLbus & consuetudinibus* pretium statuere didicerant; Abinde sanè, quemadmodum omnia melius sese habere; sic quoque *illam Jurisprudentiæ partem*, quæ *de negotiis Principum privatis* agit, mitiora mox fata expertam esse, minime inficias ire licebit. Et in hoc namque feliciori *totius legitimæ Scientiæ* statu nunquam JCti defuere cordatiores, qui instituti illius prioris, quo nimirum lites olim omnes indiscriminatim, sive *rusticos* inter sive *Principes* quoque controverterentur, ex *solis* Justinianeo & Canonico Juribus decidere suetum fuit, inconcinnitate perspectâ ostensâque, ad aliam plane viam ineundam, aliaque omnino, *ante* ac *præter* eadem fundamenta dispicienda, uti ipsimet serio sese accinxerunt, ita & reliquis facem prætulerunt. Quin & ipsos illos, quos ex recentioribus adhuc in contrarium allegat GRIBNERUS *ibid lit. a.* SCHOEPFFERUM scil. STRYCKIUM, LYNKERUM, ENGELBRECHTUM, VITRIARIUM &c. quando *locc. citt.* Status Imp. in universum omnes etiamnum LLbus Roman. Civil. adstrictos statuunt, hoc assertum suum nequaquam ita crude, ac cum exclusione aliorum, decidendi ordine præcedentium, subsidiorum (de quibus *infra*) intellectum voluisse, hoc lubentius nobis persuademus, siquidem ea, quæ alibi iidem scripserunt, contulerimus. Saltem quod ab istâ renatarum meliorum literarum periodo nemo extiterit, qui de composito datâque, ut ajunt, operâ rem aggressus sit, vel ordine quodam Systematico *illustrem* & *hanc Jurisprudantiæ speciem*, a reliquis separatam, exhibuerit, ejus rei ratio nobis in hoc potius latere videtur, quod peritiorum plerique non minus & in isto, quo *Principes* utuntur, *Jure Privato*, si non ubique, tamen in potioribus ejus argumentis & capitibus, *eximiam* quandam *libertatem sese* exserere,

ſaltem *materarium*, Commentatores numerare poteſt. *b.*)

§. V.

ſerere, totque ſubinde *reſpectu* etiam *publicos*, intervenire animadverterunt. Unde communiter fere deinceps plurima *ad illud* propriè ſpectantia, inter reliquas Juris Publ. materias & Doctrinas pertractare maluerunt. Ad quod quidem illi præ cæteris commodiſſimam ſibi occaſionem adepti videbantur, qui libros ſuos de Jure Publ. juxta ſeriem illam, qua JUSTINIANUS IMPERATOR privati olim Juris Elementa componi curavit, adornarunt, veluti VITRIARIUS, RHETIUS, STRAUCHIUS & cumprimis SCHILTERUS, qui in tantum quoque ſibi ea propter placuit ipſe, ut omnes alios Scriptores quotquot neglecta hâc methodo Tribonianea, nil quicquam de negotiis iſtis Principum privatis, utpote de Nuptiis eorum, Patria poteſtate, Teſtamenti factione, ſucceſſione &c. tradiderint, *minus plene* Jus Publ. expoſuiſſe pronunciarit in *Inſtit. Jur. Publ. lib. I. Tit. 2. §. 15.* Sed conf. tamen GRIBNER *d. l. §. 1. lit. c.* ubi ingenue, quid in univerſum deſideret & doleat, profiteatur.

b.) Sic quidem ex Juribus hiſce Principum, aliorumque S. Rom. Imp. Germ. Illuſtrium, illa de *Matrimoniis* Ipſorum, *Tutelis*, *Pactis*, *Teſtamentis* & *Succeſſionibus* potiſſimùm, abs Viris longe doctiſſimis ſolerter ſatis ac erudite excuſſa novimus. Quorum ut ſingulorum merita agnoſcere fas eſt, ita & nobis eadem ſuis aliquando locis condigne dilaudanda erunt. Quamvis ſi hos inter primas rurſus Noſtrati B. MYLERO ab EHRENB. deferamus, a vero forſan haud aberraverimus. Ad minimum is *Ille* fuit, qui cùm *Tract.* ſupr. laud. de *Princip. & Statib. Imp.* tùm aliis Commentationibus ſuis, veluti *Nomologia*, ſ. de *Princip. Germ. obligat. Legal. Tubing. 1663. 4. Gamologia* item ſ. *de Nuptiis Illuſtr. Stuttgard. 1664. 4.* Nec non *Hyparchologia* ſ. de *Offic. Magiſtr. & Adminiſtr. ibid. 1678. 4.* (quibus addere licet & *Appanagiologiam* Ejus in Mſto adhuc latentem) ſi non primus fores aperuit, tamen aliis ad ulterius progrediendum calcar addidit. Atque licet non omnia hujus Viri ad Seculi præſentis palatum ſcripta ſint, nonnullaque jure forſan in illis deſiderentur; Juvat tamen audiviſſe, Judicium de Eo perbenignum CULPISII c. l. p. 29. ubi: *Conſiliariis certè*, inquit, *ac omnibus aliis, in publica negotiorum adminiſtratione conſtitutis, præſidium utile Auctor hicce præbere poteſt, dum caſus quotidie occurrentes rationibus ſuis evolvit, facili & publicè recepto Stylo exponit, auctoritatibusque Dd. amplius confirmat, nec, qui in adverſam partem pugnare ſolent, nominare deſinit.* Et quid vetat, quominus iſto quoque nomine huc commendemus Diſp. quandam notabilem, quam *Præſide*, VENERANDO totius Eberhardinæ noſtræ SENIORE, *JCto celeberrimo*,

Dn.

§. V.

Quemadmodum vero nobis quidem argumentum hoc semper ex illustrissimis, gravissimis atque maxime necessariis unum visum fuit *a.*) Ita ipsosmet non nihil aliquando circa illud pertentandi cupido incessit. Et cum ergo inter aditionem novi muneris *Professoris in Inclyta Facult. Jurid. Ordinarii*, Deo T. O. M. ita dirigente, annuenteque ac confirmante SERENISS. ATQUE POTENTISSIMO WURTEMB. DUCE, PRINCIPE, PATRIÆ PATRE, DOMINO AC NUTRITIO NOSTRO CLEMENTISS. nuper in nos collati, tùm ex *Senatus Ampliss. Decreto*, tum vero ex ipso quoque *Statutorum Acad.* præscripto, de Themate quodam, publicæ disquisitioni subjiciendo, cogitandum fuerat; nullumque ferè aliud isto dignius succurrebat; Tandem periculum rei facere, atque nunc quidem, Procœmii quasi loco, quædam de *vero Conceptu*, *Indole ac Natura*; *Cautelis* item & limitibus; *nec non de subsidiis* atque *genuinis decidendi fontibus* Disciplinæ, Germanis omnibus merito inter delicatiores nobilioresque habendæ, commentari constituimus; spe haud vana freti, ut nobis præsidia forsan viresque, tanto utique instituto pares, deesse deprehendantur, voluntatem tamen atque ardorem, publice & in hoc bene

 merendi,

Dn. D. GABR. SCHWEDERO, *Patrono atque Præceptore nostrô, omni honoris cultu prosequendô*, jam ante hos 43. annos hic respondit CHR. DIETER. BOSE, EQU. MISN. *de Privileg. & Jur. Singul. Person. Illustr.* quippe cujus *Sect. II.* jam tùm præcipua quædam Juris hujus Illustrium Privati Capita attigit; Quâ cum & alia EJUSD. *Viri Excellent.* Disp. *de Foro Illustr. Imp. Rom. Germ. immediate Subject.* jungi meretur.

ad §. V.

a.) Enimvero præter id, quod maximi omninò referat, justos sic tandem limites Juri, tàm *Publico*, quàm *Privato* constituisse, eôque evitasse Errores multos, tantò perniciosiores, quò gravius sæpe damnum est ac præjudicium, quod in ipsam quoque Rempubl. inde redundat; His demum probe intellectis, solidum de *Jurisdictione in Imperio Summa*, quam & *Principes* nostri in se agnoscere tenentur, ferre licebit. Eæ quippe *Juris* Ipsorum *privati* causæ (si quasdam, veluti *matrimoniales*, *Ecclesiasticas* &c. excipias) propriè sunt, propter quas, *observatis prius Austregarum Instantiis*, vel in Judicio Imp. Aulico, vel in Camera, duobus istis Excelsissimis, iisdemque Supremis Imp. Tribunalibus, & ipsi invicem sese convenire, & ab aliis conveniri possunt. Ut nil dicamus, ipso hoc quæstionem, tantopere nostri etiamnum ævi JCtis disputatam: *De Usu LLum privatarum Civil. in ipsis Princip. Controvers.* distinctius modo responderi posse dijudicarique.

merendi, abs nemine bono improbatum iri. Sicuti quoque dum ipsum hoc agimus, *largissimam ex altis benedictionem & opitulatum, quàm fieri decet & fas est, deprecamur devotissime!*

§. VI.

Jam quod ad PRIMUM modò Tractationis præsentis membrum, genuinum videlicet CONCEPTUM AC VERAM INDOLEM Partis illius Jurisprudentiæ Illustrioris attinet, omnis ferè eò res redit, *duplex* ut *Persona*, cum maximè in Principibus nostris conspicua, *Publica* nimirum & *Privata*, probe ante omnia soliciteque secernatur. *a.*)

§. VII.

Enimverò uti *priorem illam* in genere ac potissimùm ex Imperio ac Regimine publico æstimare oportet: Sic & Nostrates IMPERII PRINCIPES eandem ostentant, quandoquidem *tùm* in Territoriis suis maxima cum potestate imperare, *tùm* cum Statibus reliquis ad communem Germaniæ Salutem concurrere, deliberare & decidere, *tùm* & eminentiora quædam Reip. munera gerere, *tùm* denique cum Exteris quoque, Provinciarum suarum Civitatumque nomine, agere cernuntur.

§. VIII.

Posteriorem autem, *privatam* scil. Personam, exhibere censentur prodereque in actionibus suis atque negotiis, communibus ipsis cum aliis privatæ sortis hominibus, *directoque rationes imperandi* haud concernentibus, veluti quando ut *Mariti*, ut *Patres*, ut *Filii*, *Nascituri* & *Nascentes*, *Infantes*, *Minoru*

---

ad §. VI.

a.) Equidem ut unum Corpus hominis naturale cum Capite non uno, aut Caput unum Corporum plurium, *physice* monstrum foret. Secus tamen res sese habet cum consideratione ejus *morali*. Etenim *quemadmodum*, rectè docente SAM. PUFENDORFIO *de Jur. Nat. & Gent. lib. I. c. 1. §. 14. unus idemque homo in diversis Statibus, sibi invicem non repugnantibus, esse potest: Ita unus idemque simul plures veluti personas gerere potest, modo munia, quæ Personas illas comitantur, ab eodem simul obiriqueant.* Quorsum & pertinent JCtorum brocardica illa: *Personam eandem diversis qualitatibus præditam pro diversis haberi*, Item: *Quoties plura Jura in una eàdemque persona concurrant, tùm illam diversis respectibus plurium personarum vicem gerere posse* &c. ap. AUGUSTIN. BARBOSAM in *Thesaur. Locuplet. voc. persona. axiom. 2.* conf. omnino, qui Thema hoc ex instituto diduxit, idemque multis tùm Regulis, tum Exemplis illustravit B. NIC. HERTIUS in pecul. *Dissert.* de *Uno homine plures sustinente personas*, ubi comprimis *Sect. III. §. 5.* ad nostrum quoque casum prolabitur.

nores & *Majores;* ut *Pupilli* & *Tutores*, ut *Domini rerum suarum*, ut *Testatores*, *Hæredes* & *Successores*, ut *Contrahentes* denique, *Delinquentes* & *in Judicio litigantes* &c. considerantur. *a)*

§. IX.

Atque *priori* quidem illo *respectu* ac nomine, quicquid negotiorum suscipiunt, vel & auctoritatis potestatisque exercent *Iidem*, ad JUS PUBLICUM pertinet; *Posteriori* vero, quicquid Ipsis rerum est ac litium, omne sibi vindicat JURISPRUDENTIA nostra illustrior PRIVATA. Cumque eâtenus ergo & Principes in *privatorum* numero habeantur, haud adeo malè Iidem *jure* quoque *privatorum* uti dicuntur.

§. X.

Ast dum hæc citra ullius, quod speramus, offensam docimus statuimusque, cave omnino, illam ut ipsorum conditionem *adeo privatam* mente tibi concipias, ut in pari propterea Classe cum quolibet alio subdito, Cive, Rustico, vel ex infima plebe homine, collocandos, tùm & eadem illis Jura semper & ubique cum hisce applicanda putes.

§. XI.

Quantumvis enim in omnibus istis, quos dixemus, actibus & negotiis privatis, *privatam* quodammodo quoque *personam* referant; Non tamen eò minùs adhuc ut PRINCIPES, COMITES &c. eosdem suscipere oportet, quos simul Dignitas illustrior, quos eximia quædam Libertas civilis, quos denique Jura plane peculiaria, ubique comitantur quasi ac circumstant; Immo quibus adeo adhærent & propria sunt illa, ut abs Eorundem Personis separari queant vel minime; Quæ & ideo privata Principum nuncupari, ac permultas subinde à Regula Exceptiones vel invitis quoque extorquere sueverunt.

§. XII.

Ut taceamus, plerasque hujus generis Causas & Controversias, etiam *privatas*, ita comparatas esse, ut haut raro ipsas plane *rationes publicas* attingant, & vel ipsum *Imperium* implicent, vel certe *Territorium* ejusdemque *Jura*, respiciant unâ. *b.)*

§. XIII.

Atqui hæ modo considerationes illud cum aliis præprimis efficiunt operantur-

a.) Sequi hic tantisper atque premere liceat vestigia TITII & KEMMERICHII *locis supr. jam alleg.*

b.) Cogita casus, ubi quæstio est vel litigium, super *Tutelis* Principum, super *modis* item *acquirendi vel amittendi territorium atque Regalia*, super *Testamentis*, *Successionibus*, *Contractibus* &c. Eorundem.

ranturque, minime ut *Iidem* vel pro *meris nudisque subditis* haberi, *a.)* vel ad reli-

a.) Et quis autem, Principiis doctrinæ Civilis, tum & Juris Publici Universalis, vel leviter saltem tinctus, non statim per se comprehenderit agnoveritque, *conditionem* illam Principum adeo *sublimem*, inque tam illustri loco positam, eamque inseparabilem, & per totum omnino hominem sese diffundentem, atque *qualitatem subjectionis plenariæ* adeò sibi contrarias esse, ut eodem respectu uni subjecto tribui haud possint, & quod, ubi *hæc* inciperet, *illam* necessariò cessare oporteret. Sed nec illud forsan implicet, quod & hos tamen dicto intuitu quoque privatos agere doceamus ipsi. Quandoquidem non omnis privatus simul quoque subditus esse debet, idemque *quà talis* etiam sine subjectionis vinculo non concipi modo, sed revera existere potest. Arduam equidem hic tangimus Controversiam, satis serio nunquam non, & jam inde præsertim à temporibus *Caroli V. Imp.* magnoque argumentorum apparatu, nec tamen semper citra partium studium, agitatam pertractatamque! cui tamen nos jam haut admodum immiscebimus. Adcitavimus ex recentioribus quosdam præcipuos, ac libere sententiam nostram, cujus necdum pœnitet, diximus in *Dissert. de Fictit. Distinct. Terr. Germ. in mediat. & Immed. c. I. §. 1. lit. b.* Nunc unicum illud, quod & omnium maxime urgere videmus LEIBNITIUM *de Jure Suprematus cap. XXVII. seq.* quodque omni attentione dignum arbitramur, addimus. Scilicet vix ullum aliud in Orbe universo datur Imperium, quod ILLUSTRIORA MEMBRA, tot tantosque Principes ac Status, & potentiâ, & splendore, & dignitate maximâ conspicuos, ostentare potest ac *Germania.* Atque in His quidem non illos solum numerat illa, quibus Patria est ipsa, quosque ex proprio gremio suo producit, sed & tales modo refert, qui una & in plerisque aliis Europæ Terris summæ rerum præsunt; veluti MAGNÆ BRITANNIÆ, SUECIÆ, POLONIÆ, DANIÆ, BORUSSIÆ & SARDINIÆ *Reges.* Plane ut propterea, quam REGNUM PRINCIPUM suo jam ævo dixit *Maximilianus I. Imperator gloriosissimus*, hanc nostra tempestate REGNUM REGUM non injuria compellandam putemus. Jam vero si in *istis* quidem indigenis Principibus *vera* quædam ac *propria sic dicta*, eaque *absoluta personarum subjectio* obtineret, necesse omnino foret: & hos *Exteros* Imperio, *personarum suarum intuitu* in omnibus *Subditos* statuere. Neque enim uspiam Lege cautum est, meliore ut *Iidem* præ aliis in Germania Principibus conditione fruantur; Quid? quod eandem plane Sacramenti formulam Eos cum His, Imperatori & imperio jurare, constat. Ast quid isto quidem asserto *indoli* Reip. nostræ

reliquorum Jurium, privatis scriptorum, rigorem tractari *b*) nedum ut indistinctim

nostræ Germanicæ magis *contrarium* esse possit, vix videmus. Et ne verò cuiquam hic externa solennia, interque hæc cumprimis omnibus imperii Ordinibus recepta illa *Cæsarem* compellandi Formula, qua Eundem *Dominum suum Clementissimum* nuncupant, tùm & quando in subscriptionibus literarum alibique: Unterthänigste & Alleruntertänigste sese profitentur, facile imponant, satis jam in omnibus fere Juris Publici Compendiis scriptores præcaverunt. vid. si placet, quæ & nos desuper monuimus in *Dissert. de Literis Status Thes. XI.* atque conf. Viri *eleganter docti* DN. GUIL. FRID. PISTORII Anmerckungen über allerhand den Ursprung, Vor-Rechte ꝛc. derer des Heil. Röm. Reichs-Graven betreffende Materien, *Part. III. p. 355. sqq. ad* §. XIII.

b.) Omne fere, quod declarationis ergo hic adscribere volebamus, cum jam dixerit integerrimus Vir, *JCtus in maximis sui ævi habitus*, ac etiamnum *post fata Illustris Vice-Cancellarius* quondam *Brunsvico-Luneburgicus* DN. LUDOLPH. HUGO in egregio suo *de Stat. Religion. Germ.* Libro *C. VI*, §. *37*. Hunc quoque præ nobis audivisse placebit. Atqui is *ibidem* candide satis: *Quanquam*, inquit, *in Controversiis Principum ac Ordinum Imperii, sive de ipso jure Territorii, sive de re quâpiam aliâ exortis, dijudicandis leges PRIVATI JURIS adhibeamus, atque sic causas Magnatum & Privatorum magnam partem eodem jure metiamur;* NON POTEST TAMEN PRINCIPIBUS EODEM SEMPER RIGORE, AC PRIVATIS JUS DICI. *Sæpe enim, ut nostræ quidem Reip. status se habet, vulnus majus est, quam ut ordinariam medicinam patiatur. Itaque cùm Controversia adeò latè patet, ut quietem publicam turbare possit, sæpe* TEMPERAMENTO ALIQUO JURISDICTIO MITIGANDA EST. Pergit Ille deinceps, atque post allegatum casum satis Illustrem, in ejusmodi utique litibus componendis non *prudentiam* tantum *Judiciariam*, sed etiam *Politicam* occupari, peropportunè monet. Denique cum REINKINGIO hanc præcipue causam existimat, quare Eminentiss. Consilium Imp. Aulicum quandoque sententiam in causis gravioribus, ubi politicæ concurrant considerationes, non pronunciet, sed causam prius *cum Voto*, mit einem Gutachten, referat ad ipsum *Imperatorem Augustissimum;* Quo facto, addit, Cæsaream Majestatem causam in *Consilio Secreto*, im Geheimen Rath, proponere, in quo non tam *Justitiæ*, & *Juris*, quam *Status* ratio consideretur, utpote an tali vel alio rerum statu commodum sit ita pronunciare? multoque magis an sine *magno Imperii motu* & *scandalo* ejusmodi

ſtinctim omnes Roman. LLum apices, ſolam parendi rationem prodentes, ipſis adaptari queant. *c.*)

§. XIV.

modi ſententia jam concepta *executioni* mandari poſſit; Quod ſi enim difficilis illa fuerit, vel *alia incommoda* timeantur, non raro pronunciationem aliquantiſper ſuſpendi, donec commodior exſequendi occaſio eveniat. Hactenus HUGO. Cui tamen quoad *ultimum* jungimus *laudatiſſ.* Dn. D. SCHWEDERUM in *Jur. Publ. P. Gen. Cap. I.* §. *5.* & *Part. Spec. S. I. C. 12.* §. *12.* ubi an. 1637. Electores quidem, ne id in poſterum amplius fieret, ſedulo monuiſſe rogaſſeque, atque tum quidem repulſam tuliſſe, tandem vero illud obtinuiſſe docet, quod *Imp. glorioſiſſ.* FERDINANDUS III. LEOPOLDUS atque JOSEPHUS in Capitulatt. ſuis promiſerint: Wie ſie nicht geſtatten ꝛc. wollten, daß Dero Geheimen Raths-Collegium, ſamtlich oder ſonderlich, derer Reichs-Sachen, welche vor den Reichs-Hof-Rath gehören, ſich anmaſſe, darinn ſich einmiſche, oder auf einigerley weiſe dem Reichs-Hof-Rath eingreiffe. Aſt cum nec hæc ſufficere videbantur, ulterius caurum in *Capitul. Noviſſ. Auguſtiſſimi* CAROLI VI. *Art. XVI.* ibi: Wo auch im Reichs-Hof-Rath in wichtigen Juſtiz-Sachen ein Votum oder Gutachten abgefaſſet, und uns referirt werden ſollte, wollen wir uns ſolches in Anweſen des Reichs-Hof-Raths-Præſidenten und Reichs-Vice-Cantzlers, mit Zuziehung der Re-und Conferenten, und anderer Reichs-Hof-Räthe, beyder Religionen ꝛc. vortragen laſſen, mit denenſelben darüber berathſchlagen, und in keinem andern Rath reſolviren. Quid? quod eâdem ex ratione, atque quoniam illam dignitatem conditionemque Illuſtriſſimam Principes noſtri ubique ſibi adhærere ſentiunt, ſæpius contigiſſe novimus, ut & in cauſis iſtiusmodi privatis ſuis, gravioribus præſertim, ſi qua forſan ſententia juſtò nimium gravatos ſeſe putarunt, *recurſum ad univerſalia Imperii Comitia*, ceu ultimum remedium, prenſarint.

ad §. *XIII.*

c.) Sunt equidem, qui idcirco quoad negotia atque cauſas ejusmodi Principum privatas ad ſumma Imperii Judicia delatas, in genere magis ad ea, quæ ad *Subſtantiam actus* pertinent, quam ad *Externa* duntaxat ejus *ſolennia* attendendum eſſe opinantur. vid. præ ceteris Dn. KEMMERICHIUS *de Lib. VIII. c. 1.* §. *8.* & *ſqq.* qui & ipſe id eô æquius cenſet, quod *hæc* plerumque tantum inventa ſint, ut ne ſubditi actiones ſuas, prout velint, inſtituant, nec quidquam majoris momenti propria authoritate perficiant; Quæ tamen ratio in iis, qui ipſi ſunt Perſonæ publicæ & Imperantes, ceſſet. Verum quam male

§. XIV.

Quandoquidem tamen ipsi illi tam frequenter intercedentes *respectus* quoque *publici*, non olim solùm quosdam ex iis, qui jam aliquid pervidêre, in transversum egerunt, ut pleraque capita, *hûc potius spectantia*, reliquo Juri Publ. vindicârint; *a.*) Sed & ipsos, quod miramur, Duum Viros laudatos, qui tamen majorem deinceps lucem affuderunt, *TITIUM* sc. atque *KEMMERICHIUM*, adhuc dubios & suspensos tenuerunt; *b.*) Nos quidem nullatenùs reformidamus, omnia & ista intra Disciplinæ nostræ ambitum & pomœria quasi revocare, eandemque adeò intergerii, instar, Jurisprudentiam inter *publicam* atque *mere privatam* (seu subditos proprie, Cives & rusticos in Territorio concernentem) constituere *mediam*.

§. XV.

Indicatis sic autem, vel potius digito saltim monstratis iis, quæ ad cognoscendum *indolem* ejus, *Cautelas* atque *limites*, necessaria sunt; nunc ad JURIS ipsius, decidendis quidem istis privatis Principum causis præcipue adhibendi, FONTES SUBSIDIA atque FUNDAMENTA progredimur. Neque enim tam absonum quemquam fore speramus, qui & hoc potissimum intuitu Eosdem vel plane nullis, *a.*) vel arbitrariis saltem *b.*) LLbus uti præsumserit; Pariter

---

male sic ut plurimùm Magnatibus consulatur, quamque parum & nobis hæc arrideat sententia, pluribus aliquando ostendere licebit, ubi Ordo tractationis nos ad *Testamentarias*, *Pactorum* atque *Contractuum* materias perduxerit.

ad §. XIV.

a.) Conf. jam dicta *supra* §. *IV. n. a. circa fin.*

b.) *Illum* quidem *Libr. 1. C. 1. § 51. Hunc* vero *d. libr. VIII. c. 1. §. 5.*

ad §. XV.

a.) Et quis ullus hominum in hoc, quo positos nos videmus indistinctim omnes, statu misero satis, corrupto imperfectoque, vitam absque ulla plane norma degeret securus & ipse? Pertinent huc, quæ Juris Naturæ DD. communiter, interque hos tamen recentiores longe solidius distinctiusque, ac veteres, de norma actionum humanarum in genere, ante omnia fere alia inculcare solent.

b.) Peregregie ILL. ac Elegantissimus *Batavorum JCtus Cornelius van* BYNCKERSHOECK in *Præf. Observationum Jur. Civ.* inter multa alia cordate scripta, observat, nunquam magis periclitari opes hominum, (adde & Rempubl. in universum) quam si Jurisprudentia cerebrina occupaverit judicia, si non ex jure, sed ex *arbitrio*, lubrico illo & incerto, manus conseratur.

riter atque nec illos rationes suas recte subducere arbitramur, qui ea duntaxat ad Jura, quæ non nisi Independentibus, præterque DEUM neminem alium superiorem respicientibus, Principibus adaptari sueverunt, ipsos adstringere volunt. c.)

§. XVI.

Non ignoramus equidem ac legimus passim, ut solicite hic jam ab aliis, recentioribus præsertim, casus quidam ab invicem separentur, distincteque respondeantur. a.) Verùm cùm omnia pleraque illorum ad *Jus* tantummodo *Romanum Civile* directa sint, eoque tendant unice, ut, quisnam *hujus* demum usus in determinandis quoque Ordinum Imp. causis & controversiis in genere supersit? declarent; Hæc utique minime sufficere videntur. Quare altius modo adscendere, ac, quid Jura, tam DIVINA, quam HUMANA, in universum huc conferant, paucis dispicere, vel & per transennam saltem ostendere, præstabit & juvet.

§. XVII.

---

tur. Cujus & vid. *Dedicat. ibid. præmissam*, ubi posterius hoc dominans *belluam* plane *multorum Capitum* vocat. conf. omnino, qui incommoda plura, ex Jure ejusmodi arbitrario profluentia, graphice describit MELCHIOR von OSSE *in Testamento suo edit. Thomas. p. 47. seq.*

ad §. XV.

c.) Id quod illorum quosdam non intendere tantum, sed & aperte agere videmus, qui Proceribus Germaniæ *veram proprieque sic dictam Majestatem* serio vindicare allaborant cum B. Dn. THOMASIO & GOEBELIO *locc. supr. alleg.* TITIO item *Libr. VII. c. 8. §. 14.* BRUNNEMANNO in *Jur. Publ. prudentia Diss. V. §. 2.* nec non B. ILL. GUNDLINGIO in *Singularibus ad L. Majest. C. II. §. 40.* aliisque. Tametsi, quod & ad *posteriores hosce* attinet, præ iis omninò, qui, retento veteri Epitheto, Majestatem *analogam & respectivam*, s. potestatem *Majestatis æmulam, summæque proximam*, Ipsis adhuc tribuere malunt, hoc tutiores nobis ambulare videntur, cùm vel ex potentissimis quisque hactenus illâ *Majestatis* appellatione abstinuerit, nec revera propter hoc *Superioritati* Eorum *Territoriali*, ac liberiori omnium quorumcunque, ad civitatis moderamen necessariorum, Jurium usui, vel in Ecclesiasticis, vel in Secularibus, decesserit quicquam.

ad §. XVI.

a.) Scilicet ante omnia dispiciendum monent: Utrum *inter imperantem & subditum*, an *inter duos territoriorum Dominos ac Con-Status*, vel & *e. g. Principem inter atque quemlibet alium extraneum* negotium geratur? Et *primò*

§. XVII.

Ac ILLA quidem cùm communiter aliâs in CONNATA & REVELATA ſoleant diſpeſci; hæcque rurſus ſubdiſtingui in *Ceremonialia*, *Forenſia* & *Moralia*, ſive, quam deinceps appellationem tulerunt, *poſitiva univerſalia*; Poſteriorum jam *primæ duæ ſpecies* nos haut morentur; *a.)* quoad *ultimam* vero, perinde nobis, minimùm ad noſtrum jam ſcopum, erit, ſive cum Viris quibusdam Doctiſſimis adhuc eam tueri quis voluerit, ſive in ejus locum cum *beate nuper fatis functô* CHRIST. THOMASIO, *Honeſti & Decori regulas* ſubſtituere. *b.)* cum

primô quidem in caſu rurſus: Num *actus hujusmodi in ſe ſpectatus indifferens, h. e. conditioni neque imperandi neque parendi proprius ſit?* an vero *ſubjectionem quandam involvat ſimul?* vid. cumprimis D. CHR. JO. CONR. ENGELBRECHT in Libro ceterà eleganti atque erudito de *Servitutib. Jur. Publ. Proleg. §. I.*

ad §. XVII.

a.) Utpote quæ Judæis duntaxat in *Vet. Teſt.* abs Deo latæ, eosdemque etiam *ſolos* tenuerunt. Et ad *priores* quidem illas, *Ceremoniales* videlicet *Leges*, quod attinet, quia ſolummodo de ritibus circa cultum divinum, populo huic olim obſervandis, diſponunt, meritò poſt adventum Chriſti Salvatoris Opt. Max. *mortuæ*, atque per ſe quaſi ipſos quoque *apud Judæos* evanuiſſe cenſentur; quemadmodum egregiè docuit *Magnus Favitor noſter*, MAGNIF. atque REVERENDISS. Dn. CANCELLARIUS D. PFAFFIUS in pecul. Diſſ. de *Leg. Cerimon. etiam quoad Judæos abrog.* conf. omnino THOM. GOODWINI *Moſes & Aaron*, itemque JO. SPENCERUS de *LL. Hebræor. Ritualib.* (de quo tamen notabile proſtat judicium in *Act. Erudit. Lips. German.* Part. 135. p. 153. ſqq.) nec non PUFENDORF in præclaro de *Habit. Religion. ad Stat. Civil.* libello. Quamvis utique & illarum cognitio exactior quantum ad meliorem Juris etiam novioris Eccleſiaſtici intellectum conferat, ipſo exemplo ſuo ſatis docuerit *Idem laudatiſſ. Vir.* D. PFAFFIUS in *Originib. Jur. Eccleſ.* Alterum vero, *Forenſe* ſc. Jus hoc ipſo, quod rem Judæorum Judiciariam ſpectabat, ac de negotiis ipſorum Civilibus Controverſiisque privatorum inter ſe, nec non de Criminibus, eorumque pœnis agebat, Reique ipſorum Publicæ ſpecialiter accommodatum erat, ſublatâ hac, ſublatum quoque eſt, neque Chriſtianis jam ullibi attenditur. Quod quidem ultimum *an recte?* non levis inter Theologos atque JCtos controverſia eſt; Cui tamen nos modò haut ingerimus. vid. *Celeb.* D. AUGUSTIN. LEYSER in *Meditatt. ad Pandect. Vol. I. Spec. VII. n. 7.*

b.) Cùm non minus & ad harum ſervationem religioſam omnes omnino homines indiſtinctim, atque adeo & Principes, ſeſe adſtrictos putent. *c.*)

§. XVIII.

b.) Opus ante omnia hic eſt genuinâ Hiſtoria literariâ de *Jure* iſto *divino poſitivo Univerſali*; quam cum omnium accuratiſſime dederit *Celeb.* olim *Gieſſenſium Cancellarius*, B. JAC. FRID. LUDOVICI in *Delineat. Hiſt. Jur. Nat. p. m. 172. ſeq.* ad illum remiſiſſe ſat erit. Et ex hac verò illud potiſſimum patebit, ipſi THOMASIO hunc præ aliis honorem deberi, quod *primus* novam Juris ſpeciem, *nomine* quidem *anteà jam cognitam*, ſed parum adhuc excultam, in ordinem redegerit. Præſtitit enim hoc, atque primas lineas duxit in Diſp. de *Crimine Bigamiæ*, quæ inter Lipſienſes ejus eſt *ſeptima*, & quidem à §. *8. uſque ad 20.* Plenius tandem inſtitutum exſequutus in *Inſtit. Jurisprud. Divin.* Sed & idem cum poſteà in reliquis Diſpp. & Tractatibus ſequutis ageret, complures mox habuit, tàm ex JCtorum, quàm ex ipſorum quoque Theologorum Ordine, qui ſententiæ huic ipſius ſubſcribere dubitarunt nulli. Quemadmodum etiam abinde nullum fere nomen magis increbuit, magisque frequentari cœpit inter Juris Nat. Scriptores, ac illud *Juris poſitivi univerſalis*, ceu reverà exiſtentis, & abs Naturæ jure oppido diſtincti. Haut tamen eò minùs, atque licet THOMASIUS fuerit primus, qui exiſtentiam peculiaris ejusmodi Juris Divini ſpeciei ſtabiliverat, *primus* quoque fuit, qui eam iterum deſtruxit, etiamſi, quod & ipſe in propriâ *plen. Hiſtor. Jur. Nat. p. 15.* §. *12.* fatetur, *non ſimul & uno momento*, ſed *paulatim pedetentimque* ad id pervenerit. Quo minus itaque hoc facilitati ſuæ levitatique tribui, vel &, quaſi eo (quæ male ipſi cupientium conjectura fuit) aſſeclis ſuis ſolummodo illuſerit, haberi voluit. Ad minimum ſatis ſpecioſæ videntur cauſæ & occaſiones, quibus ſe ad Syſtema prius mutandum permotum ſcribit, quasque latius exponit Ipſe tùm in *dict.* ſuâ *plen. Hiſtor. Jur. Nat. p. 15. ſeq.* tum in *Fundament. Jur. Nat. & Gent. cap. proœm.* §. *8. ſeq.* Ultimò itaque ſic diſtinxit: Leges vel ſunt *Humanæ*, vel *Divinæ*; Divinæ ſunt vel *Univerſales*, regulas videlicet *juſti*, *honeſti* & *decori* ſimul pandentes, vel *particulares* & *poſitive* diſponentes de Judæorum *Religione* atque *Politiâ*. Primùm verò mentem ſuam deſuper aperuit an. 1702. in pecul. *Commentat. Obſervat. Halens. Tom. VI. n. 27.* inſerta, cujus §, *43.* cum *ſeqq.* præcipue huc ſpectat; usque dum totam rem connexit in modò *allegg. Fundament. Jur. Nat. & Gent.*

c.) Eadem quippe & iſtius, quod tantopere plerisque defenſitatum hactenus fuit, ac usque dum defenditur multis, *poſitivi Juris Univerſalis*, & *decori*

§. XVIII.

Quemadmodum quoque, quæ divinis hiſce Juribus poſitivis contradiſtinguere ſuevimus, CONNATA, dum nihil ſunt aliud, ac ipſiſſima rectæ rationis, circa actiones hominum morales, dictamina, proprie & in *ſenſu ſtrictiori*, non niſi præcepta *juſti*, in *latiori* vero & ipſas, quas diximus, *honeſti* & *decori* regulas, complectentia, vulgò NATURÆ & GENTIUM Jura vocata; Hæc quidem Diſciplinæ, quam modo majorem in lucem conſtituere ſatagimus, noſtræ ita cenſemus propria, ut ſi non ſola eadem ſemper & ubique regnare, tamen maximum ſubinde præſidium præbere videantur. *a.)* Tantum abeſt, ut ultimo demum loco, atque poſt exhauſtos omnis reliquæ Jurisprudentiæ fontes ac loculos, quin & poſt excuſſas DDrum ſententias, ad illa confugere, eorundemque deciſa tum primùm diſpicere liceat, conveniatque. *b.)*

§. XIX.

---

cori atque *honeſti regularum* eſt obligatio, neque differunt aliter, niſi *modo Viâque cognoſcendi. Utrisque* Deus eſt author ſanctiſſimus, idemque nulli omninò mutationi obnoxius. Et quid denique *æquius*, quid *juſtius*, quid *magis pium*, imò quid *magis Chriſtianum* eſt, ac quando omnia illa officia, quæ quilibet homo, nulla plane dignitatis ordinisque ratione habitâ, *tùm aliis*, *tùm* & *ſibi* quoque debet, *tribus* hiſce *præceptis*, admodum momentoſis, ipſiusque Salvatoris Chriſti ore pro parte confirmatis, explicantur: *Quod Tibi non vis fieri, alteri non feceris: Quod Tibi vis fieri, & alteri feceris; & Quod vis, alii ut faciant ſibi, tu te quoque Tibi facies ipſi;* primum *juſti*, alterum *decori*, tertium denique *honeſti* regulas exhaurit. Atque ipſe THOMASIUS *in Obſervat. Halens. d. l.* §. *59.* graviter ſatis: *Decet*, inquit, *viros prudentes & ſapientes, non ſolum obſervare præcepta juſti, ſed & honeſti & decori.* Quo minus verò & cauſarum erit, ad timendum, ne plus æquo ſic Magnatibus Principibusque frena laxentur.

ad §. *XVIII.*

a.) Valde huc commendari meretur *Præfat.* CASP. ZIEGLERI *in not.* ad Grotium de Jur. B. & P.

b.) Idque eò magis, cum & aliâs prima quorumvis aliorum jurium fundamenta ex illis haurienda ſint, quorum & omnium idcircò baſes & normæ recte vocantur. Ubi quidem nil obſtat, aut dubium moveat, quod in tanto Eruditorum conflictu, ſuperponendis acceptandisque principiis certis & immotis, ipſa quoque jura hæc ſubinde incerta ſint, ſemperque ſic res ad promiſcuum judicandi arbitrium redeat. Ut namque illud fieri haut negemus, tamen principia juris Nat. divini, cordibusque hominum inſcripti, in ſe ſa-

§. XIX.

Neque verò duo hæc Jura dum nominamus, autumet quisquam, ac si distinctas duas species illa & nos habeamus, reque verà separatum quoddam *Gentium* Jus ab illo *Naturæ* statuere velimus. *a.)*

§. XX.

Jam quod ad HUMANA, Principum quoque nostrorum causis dijudicandis accommoda, attinet Jura, hæc melioris ordinis gratia in *Domestica* & *peregrina* seu *exotica* dispescere licebit; tùm & *illa* vero rursus subdistinguere in *Scripta* & *non Scripta s. Consuetudinaria.*

§. XXI.

Et inter istas quidem *domesticas scriptas* leges quo minus primum statim locum adscribamus *Privilegiis* Eorundem, quæ magno ubique numero commonstrare

tis clara, simplicia statimque obvia sunt, nisi quis vim rationi inferre, aut meris saltem cavillationibus in re luce meridiana clariori, uti velit. Neque diversa, quæ pro diversitate ingeniorum Dd. construunt principia, immutabilia ipsius Naturæ decreta vel turbant vel evertunt. conf. omnino IMM. WEBER *de Oscul. mutuis int. Nat. & Civit. Jur. p. m. 4.* ubi certitudini huic diversas DD. opiniones æque minùs detrahere posse scribit, ac in ipsa Theologia multorum dissensus circa principium fidei veritati Sacrarum Literarum quicquam derogare queat.

ad §. XIX.

a.) Enimverò quemadmodum Lex Naturæ est norma quædam universalis, ita quoque non singulos tantum homines, sed & Gentes obligat universas. Jam igitur ubi integris illa Gentibus earundemque actionibus applicatur, *Gentium* quoque *Juris* nomen fert. Præter quem utique respectum nullum aliud Gentium jus, idque sive *voluntarium* sive *positivum*, quod legis propriè sic dictæ naturam habeat, atque causam belli producere apta sit, agnoscimus; hoc minus, cum Gentes *inter se* invicem *considerata* communem aliquem Superiorem, præter Deum, haut venerentur. Sed nec, quod ipsæmet inter se aliquando de ejusmodi Lege convenerint, doceri queat quicquam. Ipsos vero Gentium mores, circa decorum præsertim, obtinentes, ubi pro tali habere quis voluerit, per nos quidem poterit: sed tùm quidem nihil aderit, quod legis naturam exprimat, nihil, quod, siquidem de violatione quærelæ existunt, justam ad educendum gladium causam subministret. Id quod abunde jam ac dilucide satis commonstrarunt PUFENDORF *de J. N. & G. L. II. cap. 3. §. 23.* THOMASIUS in *Jurisprud. divin. L. I. c. 2. §. 103. seqq.* tùm & præprimis in *Fundam. J. N. & G. L. I. C. V. §. 65. sqq.* aliique.

ſtrare valent, ampliſſimis, ſimul & antiquiſſimis, iisque, ſive integro aliquando Statuum Ordini, ſive Huic modò, alterive, ab Impp. *expreſſe* datis & conceſſis, nil omnino vetare videtur. *a.)*

§. XXII.

Dehinc alii forſan eò retulerint quoque non ſolùm vetuſtiſſimas illas tàm *Viſi*-quàm *Oſtro-Gothorum*, *Burgundionum*, *Francorum*, *Alemannorum*, *Bajuvariorum*, *Ripuariorum*, *Saxonum*, *Angliorum & Werinorum*, *Friſionum*, *Longobardorum* &c. Leges, *a.)* ſed & famoſa illa *Capitularia*, *b.)* quin & quascunque alias Regum & Imperatorum Francicorum, Saxonicorum, aliorumque ſubſequentium usque inde ad Carolum IV. *Conſtitutiones*, *c.)* Verum cùm, quod attinet,

ad §. XXI.

a.) Quo itaque magis neceſſarium eſt, ut diplomata monumentaque ejusmodi publica ſedulò conquirantur, ſerventur, tandemque, *ubi ex re videtur*, publicæ quoque luci exponantur! Quove major nunquam non gratia illorum Collectoribus Editoribusque habenda! Specimen ejus rei novum idemque perinſigne inter Nos quoque nuper datum fuiſſe, cùm *Vir Conſultiſſ.* atque *Excell.* D. HENR. MART. BURCKHARDUS *Sereniſſ. Wurt. Ducis Conſiliarius Regiminis, Supremique Dicaſt. Aſſeſſor meritiſſimus*, præclarum illum Librum, cui tit. Würtembergiſches Kleeblatt dreyer *privilegiorum*, *Exemt. Fori, Auſtregar. & de non appellando*, ederet, merito lætamur.

ad §. XXII.

a.) Eas ſcil. quas, poſt BASILIUM HEROLDUM, SICHARDUM, TILIUM, GOLDASTUM &c. in unum collectas, ſub tit. *Codicis Legum Antiquarum* FRIDER. LINDENBROGIUS publicavit, & ad quarum notitiam exactiorem oppidò faciunt ea, quæ ſcripſit in eleg. *Specim. Conjecturar. De Orig. & Natur. Legum Germanicar.* ILL. *Francofurtenſium Anteceſſor*, D. CHRIST. GODOFRED. HOFFMANNUS.

b.) De quibus tantopere meritus eſt Eruditiſſimus ille Gallorum STEPHANUS BALUZIUS.

c.) Quibus quidem undique corradendis compilandisque primus fere operam, eamque ſatis præclaram atque laudabilem, impendit MELCHIOR GOLDASTUS in *Tomis Conſtitt. Imperial.* tum *Latinis*, tum *Germanicis*. Aſt, quam parum ſæpenumero authentiæ illarum tribuendum ſit, dudum perviderunt eviceruntque harum rerum gnari, artisque præſertim Criticæ & diplomaticæ callentiores. Quos inter feliciſſimum illum ſolidioris juris publici prudentiæ inſtauratorem, H. CONRINGIUM, præcipuè commen-

attinet ad *priores*, non nisi particulares illæ fuerint, nullamque adeo universalem obligationem producere potuerint, uni quippe nationi vel populo tantum sancitæ usurpatæque; Tum & ex *posterioribus* complures forsitan pro temporum istorum ratione, *vel* in ipsis quoque Comitiis scripto haud adeo diligenter consignatæ, *vel* scriptæ quidem, sed ob nondum inventam typographiæ artem, ad paucorum notitiam pervenerint, *vel* & propter notabiles illas, quæ tum maxime in Imperio gliscebant observabanturque, confusiones & conversiones, parum roboris sive acquisiverint, sive (mutatâ cumprimis deinceps cum status Imp. formulâ, jurium quoque Germanis antea usitatorum, ratione) retinuerint. *d.)* Nec *illis* nec *hisce* quidem adeo multum hic semper immorandum, vel & plus æquo tribuendum, arbitramur ipsi; *e.)* Quantumvis utique de cætero

dasse juvat in doctiss. de *Orig. Jur. Germ.* Libro, ubi à *Cap, 17.* per *multa seq.* servato Impp. ordine, perpetuum fere *Goldasti* censorem agit. Cui omnino jungi meretur, *rarâ olim eruditionis Vir*, B. JO. WERLHOFIUS in *Specim. I. Juris Germ. patr. p. m. 88. seqq.* ubi plures adhuc alias ejusmodi Constitutiones Impp. antiquas recenset, quas & *vastissimæ illi Collectioni* LUNIGIANÆ, quæ titulum *Archivi Imperialis* gerit, maximam partem insertas videmus.

d.) Sunt ultima hæc jam observata quoque CONRINGIO *d. l. cap. 27. p. 160. & 164. sqq.* ubi ipso hoc & illud tandem evenisse docet, quod præter Auream Bullam, (quippe quæ propter usum insignem in magna subinde veneratione extiterit) reliquarum omnium ad Maximiliani I. usque tempora promulgatarum Constitutionum Imperii publicarum memoria penè extinctâ fuerit. Cui quidem asserto nec nos refragabimur, modo ad istum usque ævum restringatur, quo feliciora demum fata affulgere, ruptisque præsertim archivorum repagulis, tùm & cœnobiorum claustris reseratis, juxta cum tot desideratissimis rerum Germanic. Scriptoribus, complura tandem & ejusmodi tàm Imperatorum quàm Comitiorum Decreta, jam cum blattis & tineis certantia, sensim abs Eruditis protrahi lucique dari cœperunt. Sed ob easdem, quas scripsimus, causas, minime cum *laud.* WERLHOFIO mirandum putemus, quod & vulgati illi Recessuum Imp. Codices, a temporibus demum Maximiliani I. atque Ordinatione Camerali de A. 1495. auspicentur, præterque A. B. &, quæ longo post intervallo A. 1442. publicata, Reformationem Friderici III. Francofurtensem, nullam aliam antiquiorem hujusmodi sanctionem exhibeant.

e.) Secus ac olim visum ILL. KULPISIO in pecul. libello, quem sub ficto CON-

tero nec ignoremus, nec inficias eamus unquam, haut eò minus in ipsis his insignem antiquitatum Jurisprudentiæ nostræ Germanicæ Thesaurum delitescere, unde in controversiis tam *publicis*, quam *privatis*, præsertimque *ubi de probandis consuetudinibus agitur*, multum sæpe luminis & illustramenti, siquidem recte aliquis uti sciverit, fœnerari liceat. *f.*) De *Suevico* & *Saxonico* Juribus,

CONRADI SINCERI nomine edidit, atque THOMASIUS deinceps notis illustratum *Commentario* suo *ad Instit. & Pandect.* adjecit, *de Germanicar. Leg. veter. ac Rom. Jur. in Rep. nostra orig. & auctor. præsent.* ubi totus in eo est, ut & antiquissimis istis LLbus Constitutionibusque patriis in omnibus pene Controversiarum generibus decidendis primas vel ex hac potissimum ratione vindicet, quod eædem nec per Maximilianum I. nec ullâ aliâ Lege Imp. publicâ abrogatæ, sed nec per se cessasse evanuisseque dici possint. Verùm quod jam tùm aliorum præclara in refutandis potioribus ipsius argumentis, multum omnino speciei præ se ferentibus, existat opera, consultò nos ulterioribus hic abstinemus. vid. præ cæteris *Celeberrimum nostr.* B. DATTIUM de *P. P. Lib. IV. cap. I. n. 117. 150. seqq.* itemque ex recentioribus AUTH. *Diatrib. Historico-Jurid. de Recept. Jur. Rom. ejusdemque & LL. Germ. veter. in for. us. & auctor. præsent. Kulpisio opposit. 1713. 8.* nec non ILL. LUDEWIGIUM in *Different. Jur. Rom. & Germ. Diss. I. Thes. 14.* quibus additum velimus judicium egregium WERLHOFII. *d. l. p. 104.* ubi se quidem non simpliciter impugnare scribit, quo minus Legibus ejusmodi ideò, quod in Archivis & Tabulariis reperiantur, justa sua tribuatur authoritas; Ast in eâ tamen, quam antea dixerat, rei Jurisque German. commutatione, & vel nullâ, vel instabili, LLum Sanctionumque observantiâ, *pro vetustiorum illarum Constitutionum usu tantopere niti*, solido, quantum ipse quidem opinetur, fundamento, *sine multâ utique cautione* non licere.

f.) Id quod & Viri rerum Germanic. peritissimi dudum non agnoverunt modò, sed & præclaris rerum documentis luculenter satis ostenderunt; Quin in ipsis plane *Deductionibus*, quas vocant, Illustrioribus publicis, tantum abest, ut vel & antiquissima hæc sperni soleant prætermittique, ut potius cum aliis strenue & eadem hodienum præsertim deducere & urgere videamus. Atque sic ergo cum est quæstio v. g. de *successionibus*, *similibusve* Principum ac Statuum causis: *Utrum* sc. *illæ statim ex LLbus Imperii communibus* decidi, an vero ante omnia quoque ad *Jura institutaque* huic olim alterive nationi vel Provinciæ Germanicæ *propria*, subindeque *peculiaria*, v. g. in Saxonicâ ejusmodi Controversiâ ad *Saxonicum*, in Burgundica ad *Burgundicum* &c.

Jus

Jus vetus attendi debeat ? valde operosus est JO. SCHILTERUS in *Inst. Jur. Publ. L. I. tit. 2. §. 17.* ut posterius statuminet ; Ac licet non omnia ipsius argumenta satisfacere videantur ; Idem tamen in effectu tùm olim semper in Germania propugnatum fuisse observatumque, tùm & hodienum observari, infinitis plane exemplis, ex omni historia petitis, demonstrare perfacile foret. Sed vel unicum jam casum satis Illustrem, eundemque Nobis domesticum, *Successionis* scil. *Würtembergicæ* in Comitatum ditionesque Montispelicardicas, ex mero utique *more Jureque Burgundico* olim Celsissimæ huic Domui per gloriosissimam illam Heroinam HENRIETTAM acquisitæ, cogitare liceat commemorareve. Eoque cumprimis etiam pertinent, quæ in causa Novocastrensi pro Hero suo, *Porussiæ Rege potentissimo*, scripserunt, *Duum-Viri* ILL. LUDEWIGIUS & GUNDLINGIUS ; qui & posterior deinceps de *Successione Fœminarum in Gallia Belgica* commentari aggressus est in *Gundlingian. Part. XL. n. 4. & 5.* itemque quæ de veteri *Francico Jure successorio* peculiari, post SCHILTERUM aliosque egregie disseruerunt *Auth.* ANONYMUS *Geldriæ & Zutphanii S. R. M. Porus. vindicat. p. 12. sq.* ac novissime *Celeb. Vir.* D. JO. GEORGIUS ESTOR in *Analect. Fuldensib. Sect. I. §. 9. lit. a.* Sicque porro innumera alia Jurisprudentiæ domesticæ argumenta, ex solâ quidem consuetudine alias derivari solita, sed in ipsis istis antiquissimis LLbus clare satisfundata, allegare possemus ; Ex quibus ut rursus unicum illud, causam quoque cumprimis nostram oppido instruens, exemplum attingamus ; tritissimam illam Practicorum doctrinam de insigni pactorum nudorum, (de re modò certa, animo sese obligandi, abs *scientibus* volentibusque initorum) efficaciâ in foris Germaniæ, tum Inferioribus tum & Supremis, minime ex Romani, sed Patrii cum maxime Juris antiquissimi principiis, deducendam esse, dudum evicerunt JCti undique Præstantissimi; vid. præ cæteris *laud.* SCHILTERUS de *prax. Jur. Rom. in For. Germ. Exerc. VIII. §. 2. seqq.* itemque B. HERTIUS, ex instituto ad vetus istud proverbium : Ein Wort, ein Wort, ein Mann, ein Mann, commentans *paræmiar. suar. Lib. I. paræm. 8. §. 5.* Quibus & jungere licebit *Præceptorem atque Patronum, in maximis subinde nobis habitum, porroque ad cineres devenerandum, Celeberrimum nostrum* Dn. D. MICH. GRASSUM in *Diss. de pact. futur. contract. præparator.* ubi postquam *Thes. 12.* non minus & Principes, sive cum æqualis sibi sortis Principibus, sive & cum subditis, tali modo paciscantur, firmiter obstrictos docuit, tandem & ipse in *Thes. 29.* genuinam hujus rei causam reddit, quod scil. Germani, quibus *antiquâ fide* verba dare ignotum, dum per modum spotaneæ receptionis Juri Rom. se submiserint, in usum & fori sui observantiam id Juris emergere siverint nunquam,

ut

ribus, notissimis istis duabus Compilationibus comprehensis, (neque huc tamen, ubi de LLbus Germaniæ scriptis nobis sermo est, propriè spectantibus,) quæ nobis sedeat sententia, alibi distinctius expromere constituimus. *g.*)

§. XXIII.

Et cum his autem vetustioribus quomodocunque comparatum sit; Majora tamen sine dubio subsidia Jurisprudentiæ nostræ Principum privatæ præstabunt, longeque uberiores simul & luculentiores decisionum Fontes recludent Leges illæ *recentiori ævo* publice per *Germaniam latæ scriptæve.* Quo quidem sub nomine nos jam cum maxime intellectos commendatosque velimus, post *A. Bullam Caroli IV. a.*) vulgatô alias vocabulô appellatos *Recessus Imp.* tam ea, quæ in *Comitiis Germaniæ Universalibus* subinde decreta, quàm, quæ in *Deputatorum, Visitationum, Circulorumque omnium Conventibus*, conclusa fuerunt, exhibentes; *b.*) Hæcque inter cumprimis saluberrimas illas *Constitutiones Instru-*

ut pacta civiliter essent sterilia & ad pariendam obligationem Civilem actionemque inefficacia. Quod vel tum præcipue obtinere commonstrat IDEM *Vir Excellentiss.* in alia *Disp. de Promiss. sub amiss. Honor. & Existimat. cap. II. §. 11.* & passim, ubi simplici promissioni ab antiquo usitatæ illæ clausulæ: Bey Fürstl. bey Gräfl. ꝛc. wahren Worten und Ehren ꝛc. accesserint.

g.) Interim memoratu dignissimum est præjudicium *Excelsiss. Tribunalis Imp. Aulici*, haut ita diu in controversiâ longe famosissima super Comitatu Rittbergensi proditum; Quod & Celeb. D. STEPH. CHRISTOPH. HARPPRECHTUM ad conscribendum peculiarem illum *Tract. de Non usu modern. Specul. Suevic. in For. Vicariat. Palatin.* potissimum permovisse constat.

ad §. XXIII.

a.) Et hujus namque multa capita, eaque præsertim, quæ Electoribus non quâ talibus, ac *citra intuitum Archiofficiorum*, quædam plane peculiaria concedunt, propriè ad Jurisprudentiam nostram privatam pertinent. Cogita jus istud comparandi terras cum Regalibus sine consensu Imp. Privilegia item de non appellando evocandoque, singulariaque illa quoad tutelam, successionem, individuitatem, inalienabilitatem Principatuum &c.

b.) Equidem cùm non unius ejusdemque generis, materiæ vel objecta sint, circa quæ Recessus hi disponunt, *moxque* in illis agatur de rebus, Statum publicum ac ejus administrationem immediate concernentibus, *mox* de negotiis saltem transitoriis, à Cæsare & Statibus expediendis v. g. de certo militum numero conscribendo, de bello Turcico &c. *mox* denique de Legibus causisque privatis v. g. de Contractibus, usuris, Judæis, tutelis, testamentis,

strumentaque Pacis, *publicæ* ſ. *profanæ*, *Religioſæ*, atque *Weſtphalicæ*, fulcrorum iſtorum libertatis tranquillatisque publicæ, juxta cum iis, quæ pro *Executione* earundem, *quâ ſacra*, *quâ Civiliâ*, ſalutariter hinc inde diſpoſita leguntur; Nec

commerciis, remediisque ad abbreviandum proceſſum ſalutaribus &c. Quilibet ſtatim videbit agnoveritque, non omnia iſta Eorundem capita, ſed poſteriora tantum huc facere, vel abs nobis in argumentum trahi poſſe. Et quamvis ſint bene multi, (quibus & ILL. GRIBNERUS in *ſupr. cit. Diſp. de Præjudic. Princip. Imp. ex abus. Jur. Juſtin. cap. II. §. 4. not. d.* calculum ſuum adjecit) qui tùm quidem Receſſus Imp. quando ſcil. rebus cauſisque Juris privati normam præſcribunt, non ipſos quoque Principes ac Status, ſed ſubditos duntaxat eorum obſtringere putant; Sufficere tamen poſſunt, quæ in genere de Illorum in univerſum omnes in Imperio degentes, ipſumque etiam Imperatorem, obligandi vi & efficacia, diſſeruerunt, poſt B. MAURITIUM de *Receſſ. Imp. th. 30.* laudatiſs. Dn. D. SCHWEDERUS tum *in Jur. Publ. Part. Gen. cap. 3. §. 7.* tum in *Diſs. de Privileg. & Jurib. ſingular. Perſonar. Ill. Sect. II. cap. 2. §. 12.* itemque Dn. D. GRASS in *Collat. Jur. Civ. Rom. cum Receſſib. Imp. I. §. 5. p. 18. ſq.* ubi cum maximè ſolennes illas paſſim, & in omnibus fere Receſſibus obvias, formulas obligatorias urgent; Quas & inter uti extantior eſt ea, quæ habetur in *R. J. noviſs. de an. 1654. §. 199.* ibi: Und wir die Chur-Fürſten und Stände, und der abweſenden verordnete Räthe, Bottſchaffter und Geſandten ꝛc. gereden und verſprechen, in guten wahren Treuen, alle und jede obbeſchriebene Puncten und Articul, als wie obſteht, ſo viel die einen jeden, oder den, von dem er geſchickt, oder Gewalt habender iſt, betrifft oder betreffen mag, wahr, ſtät, feſt, aufrichtig und ohnverbrochen zu halten und zu vollenziehen, und dem nach allem Vermögen nachzukommen. ita quoque haud malè omnium loco allegatur. Ac, ut vel plane hic ſileamus uſum & experientiam, in contrarium militantem, quotidianam, quis eſt vel hoſpes ſaltem in Jure publico, qui ignoret, ſummis non ſolum iſtis Tribunalibus, Cameræ ſcil. ac Judicio Imp. Aulico, quam primum Receſſus ejusmodi publicatus eſt, exempla ad originalia deſcripta, (& *illi* quidem per Moguntinum A Epiſcopum) eum in finem, ut religioſè, quæ ſic noviter ſtatuta, obſervent, transmitti; vid. MAURIT. *l. c. th. 27.* ſed & ipſos Eorum Judices & Aſſeſſores inter alia jurare debere, velle ſe in poſterum penes ipſos litigantibus juxta illa quoque jus reddere. vid. *Ordin. Cam. p. 1. tit. 57.* & *Judic. Aulic. tit. 7. circ. fin.* Jam verò non meræ privatorum, civiumque mediatorum, ſed imo maximam plane partem Principum

Nec non *Ordinationes Cameræ* (quibus & *suo modo*, *c.*) illas *Judicii Imp. Aulicè* addere licebit) *Regimenti*, *Politiæ*, *Monetales* ac similes; *d.)* Tum verò *Capitulationes* quoque *Cæsareas*, itemque quæ in causis, ad Circulos pertinentibus, ab unoquovis eorum statuta sunt ordinataque, Krayß-Verordnungen, Abschiede, Edicten, ꝛc. *e.)* Quin & ipsas quodammodo pacificationum *Noviomagensis*,

Principum Statuumque ipsorum causæ (privatæ scil.) sunt, quæ in illis ventilantur definiunturque. *conf. supr. §. V. not. a.* Id quod & bene vidit ac concessit B. THOMASIUS *ad Monzamb. cap. V. §. 13. not. l.* ubi, quando quidem communi totius Imperii consensu LLes hujusmodi ferantur, id eâ intentione fieri docet, ut valerent illæ propriè in terris Judiciisque Imperii.

c.) Scil. digitum hic potissimum intendimus ad novissimam illam, quæ auspiciis FERDINANDI III. Imp. durantibus Comitiis Ratisbonensibus an. 1654. conscripta fuit publicataque. Et hanc vero, licet Electores, (juxta nonnullos) per Capitulationes postmodum conceptas firmaverint, reliqui tamen Ordines, Principes ac Status, cum maxime Comitialem eamque communem suffragationem urgentes, haud approbarunt. Quorsum & spectant, quæ habet TOB. PFANNER in *Histor. Comitior. 1654. Lib. VI. c. 65. & lib. VII. cap. 1. 2. 5. 6. 7.* AUTH. der Grund-Veste *P. III. c. 5.* §. Es hat zwar ꝛc. UFFENBACH *de Judic. Aulic. cap. II. §. 6.* MAURITIUS *de Judicio Cæs. Aulic. §. 19.* Equidem cùm noviter AUGUSTISS. IMP. CAROLUS VI. *Capitulat. suæ Artic. XVI. circa fin.* promisisset: Gleich nach angetrettener Regierung per Decretum von dem Reich ein Gutachten, wegen zu verbesserender Dero Reichs-Hof-Raths-Ordnung, zu erfordern, und so weiters sothane Verbesserung möglichster Dinge zu befördern ꝛc. Mox seq. A. 1715. sub D. 14. Jan. oppidò notabilis illa Sanctio prodiit, quæ titulum: verbesserte Reichs-Hof-Raths Ordnung ꝛc. in fronte gerit, & exhibetur in der Europ. Staats-Cantzley *p. XXIV. p. 781. sqq.*

d.) De quibus omnibus ac singulis cum distinctius datâque operâ egerit *Supr. laud.* WERLHOFIUS *in Speciminib. Jur. Germ. patr.* ad illum jam remisisse, satis forsan fuerit.

e.) Et hæc enim Circulorum illorum, a quibus condita sunt, Ordines omnes, eorumque subditos, quin & alios quoscunque in illis degentes, obstringere, certum est. vid. præprimis *Ordinat. Polit. de a. 1577. Tit. 22. §. 2.* ibi: demnach setzen und wollen wir, daß unser und des H. Reichs-Creyß, jeder vor sich ꝛc. & porro. Dasselbe sollen nicht allein die Creyß-Stände und ihre Unterthanen, sondern auch alle andere in den Creysen, ob sie

gensis, Risvicensis, Badensis &c. formulas. *f.*)

§. XXIV.

Num Principes nostri propriis quoque LLbus, quas subditis suis, vi superioritatis Territorialis, statuunt, Positivis ac Civilibus, vivere, juxtaque eas actiones suas privatas metiri teneantur? Quæstio forsan absona videatur Domitianæque similis. *a.*) Et tamen nec novum quid nec insolens est, Eosdem etiam cum

gleich nicht Creyß-Stände seynd, zu halten und, solchen nach zu setzen, schuldig seyn. Quod utique, salvo semper reliquo Jure Imp. publico, intelligendum.

f.) Ubi videlicet non solùm ipsas Germaniæ Leges publicas, veluti Instrumentum Pacis Westphalicæ, pro basi ac fundamento habent, sed & hunc vel illum Imperii statum in specie concernunt.

ad §. XXIV.

a.) Etenim ipso eo, dum *ex sublimi suo Territorii Jure* imperantes, tum LLatores agunt, LLbus istis sibi quidem subditos reddunt obnoxios, non verò semet ipsos quoque obstrictos volunt. Ac cùm legis virtus *juxta l.* 7. *ff. de LL.* consistat in imperando, vetando, cogendo, puniendoque; Quis subjectorum Principi imperabit, quis coget, quis puniet? Ad minimum, bene notante H. GROTIO de *J. B. & P. L. II. cap.* 14. *n.* 2. §. 2. *Punitio & coactio non possunt procedere, nisi à voluntatibus diversis: itaque cogens & coactum requirunt distinctas personas, neque sufficiunt respectus distincti.* Denique, parem in parem non habere imperium, nedum inferiorem in superiorem, veritas est per se patens, & ad cujus probationem ne quidem opus fuerit allegatione *l.* 4. *ff. de Recept.* Plane, uti quoque alia plura ad firmandam thesin hanc cumulari aliàs solita, studio prætermittimus; Ne curantes quidem, ex distinctionibus bene multis hic olim adhibitis, (de quibus vid. *ab* ANDLER in *Jurisprud. publ. & privat. L. I. T.* 3. *p.* 2. *n.* 9. *sqq.*) famosiorem illam, communiorique DDrum calculo probatam, inter *vim coactivam*, atque *directivam*; utpote cui & ipsi quàm parum tribuendum sit, jam ex aliis docuit Dn. D. GRASS *in cit. Collat. I.* § 5. *p.* 17. *sq.* Neque enim, quando vel ipsi *Impp.* THEODOS. & VALENT. in *l.* 4. *C. de LL.* dignam Majestate regnantis vocem arbitrantur, LLbus alligatum sese Principem profiteri, alibique, (scil. in *l. ult. Cod. Theodos. de Appell.*) bonum Principem non dedignari dicitur, sibi, salvâ Majestatis suæ reverentiâ, jus cum privatis esse commune; vel & ulterius urgetur, ultroneâ imperantis LLum ejusmodi privatarum observantiâ sanctiores illas apud subditos reddi, Principisque ad exemplum eo facilius

cum subditis litigantes, in causis, Ipsorum interesse attingentibus, præsertim *patrimonialibus*, immo & *fiscalibus*, ubi *Dominii* potius, quam *imperii* quæstio vertitur, *b.*) sponte sua non illorum tantùm Tribunalium atque Judiciorum ordini semet per Procuratorem submittere, in quibus subditis alias jus dici consuevit, sed & eodem plane cum illis jure sese judicare pati *c.*) Quod vel tum nullum amplius dubium habet, ubi valida Ipsos inter, subditosque ac status provinciales *pacta* desuper inita, in medio sunt. *d.)*

§. XXV.

Hæc de domesticis Juribus scriptis. Sub *non Scriptis* vero indigitamus famosum illud nomen, *Observantiam* atque *Consuetudines Immemoriales.* Atqui non has minus in Jurisprudentia nostra Illustriori regnare, omnemque aliquando fere paginam facere, quis rerum in Germania agitari solitarum vel parum intelligens non statim comprehenderit? Eæ quippe, per tantum temporis decursum servatæ, maximam tandem partem Jurium illorum atque Privilegiorum, Principibus plane peculiarium, procreatrices felicissimæ fuerunt. *a.)*

facilius Civium actiones componi &c. omnia hæc ullam in eodem observandæ Legis necessitatem important.

b.) Quorsum legi merentur, egregiè tradita scriptaque *Magni* olim *JCti*, B. D. FERD. CHRISTOPH. HARPPRECHTI *Consil. L. IV. n. 131. sqq.*

c.) Quod, quemadmodum communi fere Germaniæ usu undique, & comprimis *de Saxonia* constat; Sic & SERENISS. WURTEMBERGIÆ DUCES idem hactenus exemplo suo laudatissimo egregie comprobarunt, dum eas nunquam non causas, quibus *Camera* Ipsorum implicitæ fuerunt, plerumque per *Remissionis*, quam vocamus, viam ad Supremum, quod hic floret, Provocationum Tribunal deferri, ubique juxta propriarum LLum normam, Consiliariis Assessoribusque præscriptam, decidi curarunt.

d.) Et hæc vero, licet omne robur suum jam ex ipso divino Naturæ Jure fœnerentur habeantque; Tamen admodum sollicitos eapropter fuisse summos Pacificatores olim Westphalicos, patet ex *Instr. Pac. Osnabrug. Artic. V.* §. *33.* ibi: *Pacta autem, Transactiones, Concessiones, quæ inter tales Immediatos Imperii Status provinciales & subditos nec ab iisdem, nisi mutuo consensu recedere liceat.* Itemque ex *Artic. VII.* §. *1.* ibi: *Salvis tamen semper Statibus cum subditis suis conventis, pactis, privilegiis, reversalibus* &c.

ad §. *XXV.*

a.) Tenaciores utique, quam quosquam Germanos subinde fuisse morum suorum ac usuum, abs Majoribus ad ipsos transmissorum, *tum* in his quoque, quæ

§. XXVI.

Restat, ut paucis adhuc de PEREGRINIS & EXOTICIS, huc præcipuè quoque facientibus, JURIBUS dispiciamus. Ubi quidem nos, quo minus Juri Civili Romano aliquis, idemque sat amplus tribui queat locus, dubitamus nulli. Quemadmodum etiam, quotiescunque vel adhucdum super præjudiciali illa Quæstione: *Utrum* scil. *revera illud in Germania receptum fuerit unquam?* controvertitur, affirmativam nos indubitati, ullaque sine hæsitatione subinde responde-

quæ definiendis Privatorum causis inserviunt, pro certo habendum. Idque ipsum & est, quod temporis successu das Reichs-Herkommen appellari cœpit, de quo peculiarem illam Commentationem habemus CULPISII; Cui tamen jungi meretur B. THOMASIUS, tum in *Diss. de Jur. Consuetud. & Observant.* tum in aliâ *de Mor. cum Jur. script. content.* Et juxta hasce quoque Consuetudines judicari oportere, expeditum est. vid. cumprimis cit. *Instr. Pac. Osnabrug. Artic. VIII. §. 4.* ibi: *De cætero* omnes laudabiles Consuetudines, & *S. Rom. Imp. Constitutiones & Leges fundamentales, in posterum religiose serventur.* Et *Capitulat. noviss. Artic. I.* ibi: Gerechtigkeiten, Gebräuch und gute Gewohnheiten, so sie bißhero gehabt oder in Ubung gewesen ꝛc. sie auch dabey als Römischer König handhaben und schützen. Saltem cum facta præsupponant eædem, quæ probari debent, ipsaque hæc probatio sæpenumero difficilis sit; Hanc quidem ii præsertim, qui res in supremis *Imp.* Tribunalibus judicatas, referunt, veluti GAILIUS, MYNSINGERUS, MEICHSNERUS, KLOCKIUS, GYLMANNUS &c. insigniter juvare poterunt; Ast longe majora præstabit *Historia Germaniæ*, tam antiquior, quam recentior, eaque pragmatica & genuina, justisque monumentis suis, Diplomatibus, Actis, Scriptoribus &c. instructa; Ut vel exinde etiam in nostra Jurisprudentiæ parte magna ejus & utilitas, & necessitas appareat. Exemplo nobis jam inter infinita alia, sit celebratissimum illud, idemque antiquissimum *Principum judicium*, das teutsche Fürsten Recht, cujus existentiam nonnulli quidem sunt, qui in dubium vocare audent, nos verò cum Dn. D. SCHWEDERO in *Jur. publ. Part. Spec. c. 8. §. 12. sqq. Excell.* D. JEREM. EBERH. LYNCKIO in *pecul. Disp. de Jur. Principum*, ac novissime in *Staminib. Jur. Publ. Tab. 114. Doctiss.* D. JO. AD. KOPPIO in *Tr. de Different. inter S. R. I. Comit. & Nobil. Immed. Sect. II. §. 3. p. 168. sqq.* & *Sect. III. §. 9. p. 252. sq.* aliisque, intrepide illud non solum asserimus vindicamusque, sed multo latius, ac explicari hactenus suevit, sese extendere, præterque causas criminales ac feudales, & in aliis Civilibus majoris momenti, inque

ſpondemus; Satis quippe hoc edocentibus, & *Hiſtoria a.)* & *Legibus Imp. ipſis, b.)* &

inque genere, in Sachen, die der Fürſten Land, Leuthe, Fürſtenthum und Lehenſchafften, auch Leib und Ehre betreffen, obtinere ſtatuimus. Quorſum & haut obſcure collimare videtur diſpoſitio *Inſtrum. Pac. Oſnabr. Art. V. §. 55. in fin.*

ad §. XXVI.

a.) Quam tamen, ut plenius hic excutiamus, nec locus, nec tempus quoque, nec ſcopus permittunt. *vid.* interim quæ poſt CONRINGIUM de *Orig. Jur. Germ* prolixius tradidere, HERTIUS de *Conſultat. LL. & Judic. Germ. §. 14. ſq.* THOMASIUS item, BEJERUS, HOFFMANNUS, BRUNQUELLIUS, alii.

b.) Utpote quæ non ſolum Juris Rom. ceu *communis cujusdam Juris*, mentionem faciunt frequentem, ſed & illud, tanquam perpetuo valiturum, paſſim præcipiunt, obſervandum. Sic, ut ex multis aliis vel hæc tantum adnotemus, cum MAXIMILIANUS I. IMP. Cameræ Imperialis Judicium A. 1495. fundaſſet, in Aſſeſſoribus hoc præcipuè quoque requiſivit, ut eſſent *jurium periti & promoti*, der Rechten gelehrt und gewürdiget; Jam verò non eſt dubium, Imperatorem voluiſſe, ut & eô quoque jure uterentur, in quô honoris gradum meruerant. Porro in §. item alsgleich. 20. *de Ordinat. Cam.* ut in appellationibus à Sententiâ interlocutoriâ idem obtineat, was in den Kayſerl. Rechten geordnet, cautum; ſed & idem Imp. deinceps in *Ordin. Cam. de A. 1500.* §. die Succeſſion &c. provocat auf gemeine geſchriebene Kayſerl. Rechte; ac in *Ordinat. Notarior. de A. 1512.* demſelben nach ꝛc. Notariis injungit, ut officio ſuo fungantur nach Innhalt gemeiner Rechten und Geſetzen, ubi ſimul integer titulus de Teſtamentis ex Jure Juſtinianeo petitur, ſubjuncta pœnali comminatione, daß alle Notarien dieſe aus Kayſerl. Recht gegebene Form der Teſtamenten fleißig halten ſollen. Et quæ plura alia ex Receſſibus Comitiorum, inde ſub CAROLO V. habitorum, de A. 1521. & 1529. nec non ex *Ordinat. Ejus Crimin. art. 107. 108. 121. & 135.* argumento diduci ſolent. Quibus addere omnino oportet, quæ pro aſſerenda Juris Civilis auctoritate expreſſe ſancita reperiuntur in *Ordin. Cam.* FERDINANDI I. *P. I. tit. 13. §. 1.* ibi: Die Beyſitzer ſollen nicht nach eigenem Gutbeduncken, ſondern auf des Reichs gemeine Rechte Urtheil faſſen. *conf. ibid. P. I. tit. 57.* ubi ſolenni juramento Judex & Aſſeſſores conſtringuntur, ut ſententias ferant: Nach des Reichs gemeinen Rechten. Quin & idem in judicio Imp. Aulico obſervari, patet ex ipſius *Ordinat. de A.*

1654.

& *Praxi* Summorum quoque Tribunalium quotidianâ. *c.)*

§. XXVII.

Sed nec, quando ulterius disquiritur: *Utrum receptio ista ipsas quoque Principum causas & negotia spectet?* ab affirmantium partibus stare facile abnuerimus. *a.)*

§. XXVIII.

1654. tit. 7. ubi pariter non modo Consiliarii Aulici jurare tenentur, auf des Reichs Constitutionen, und die gemeine beschriebene Rechten, sed & *circa fin.* præcipitur, daß das Corpus juris Civilis & Canonici allezeit auff der Reichs-Hof-Raths-Tafel seyn solle, damit man sich derselben gebrauchen könne. Atque sub hisce quidem formulis & dispositionibus ipsissimum jus Justinianeum latere, nec olim dubitarit quisquam, nec hodie fere dubitat sanior ullus. Haut eo minus & hoc dogma sibi aliquando oppugnandum sumsit KULPISIUS in *supr. cit. Diss. de Germanic. LL. authorit. §. 79. seqq.* Cujus quoque tûm cœpti ipsum nec postea pœnituisse, docuit in *Comment. ad Monkamb. cap. V. §. 13.* Verum quod solide satis eruditeque incessit B. noster JO. PHIL. DATTIUS de *Pac. publ. L. IV. c. 1. n. 133. sqq.* atque ad locutiones: Gemeine Recht, Kayserliche Rechte, gemeine Reichs-Rechte, aliquot observationes hermenevticas addidit, quas & ipsis aliis textibus egregie roboravit, nihil hic addimus.

c.) Neque verò sufficit amplius ad subruendam hanc, dixisse obvertisseque, non quid fiat, sed quid fieri debeat, attendi opportere; Cum quicquid hic clament privatorum unus alterve, minime hactenus dimovere valuerit vel unicum Collegium inferius, nedum ipsa Superiora summaque plane Tribunalia in Imperio.

ad §. XXVII.

a.) Equidem haut est, ut ad præsumtiones hic confugiamus, nobisque persuadeamus, quemadmodum nemo sibi præjudicare censetur; Sic nec Principes per liberam eamque tacitam admissionem Juris istius Civilis conditionem suam tàm insigniter deteriorem reddere voluisse; Cum contrarium res ipsa loquatur. Jam enim ex Historia, Diplomatibus, aliisque optime fidei monumentis, facile foret demonstrandum, citius istud in ipsorum Principum, quam privatorum, causis & negotiis, auctoritatem locumque obtinuisse, sic quidem, ut jam modò Seculis XIV. & XV. plenissimè loquantur Magnatum Chartæ formulis istis, quibus *beneficiis Juris tam Civilis quam Canonici*, renunciari suevit. vid. omnino plures eorum allegans HERTIUS *d. l. §. 14.* Imo vero oppido notabilia sunt, atque magnifica, quæ *Magnus* olim

§. XXVIII.

Saltem cum deinceps quærendo pergitur: *Quousque auctoritatem ejus & in se patere voluerint Principes?* non æquius modo, sed & usui Imperii magis consentaneum arbitramur, ut otiosum idem sit, nec antea applicetur, quam ubi I.) nativæ patriæque LLes ac Consuetudines plane deficiunt, II.) iniqui, ipsum dignitatique ac fastigio Nostrorum adversum, nil habet, III.) valde ab antiqua Romanorum Republ. discrepans Germanici Imperii habitus, mores, rerumque & circumstantiarum diversitas non repugnant. Quibus utique limitationibus servatis, receptio hæc Libertati Germanicæ nil plane officere dici potest.

§. XXIX.

Succedit JUS CANONICUM. De cujus auctoritate non una est omnium sententia. Interim tamen non exinde solùm, quod usus ipsius ante Jus Rom. in Germania invaluit, sed & ex primâ eâque majori erga Conditores reverentiâ hoc habet, quod in Processus materiis aliisque pluribus Juris articulis, etiam quoad Principum causas ubique fere prædominetur.

§. XXX.

Quod denique ultimo, inter Jura aliunde adscita loco adhiberi suevit, *Jus Feudale Longobardicum*, non minus & suum usum post deficientes Investiturarum literas, pactaque familiæ & Gentilitias, Constitutiones item atque Consuetudines, præstare, negari haud potest.

---

olim LEIBNITIUS in *Præfat.* sua pererudita & perquam curiosâ *Codicis Jur. Gent. Diplomatici* de hoc Jure, usuque ejus in Gentium plane Foro docuit, in §. *Habent autem Christiani* &c. ibi: *Itaque ob illam quoque connexionem Gentium Christianarum, quæ ex veteri Romanorum potentia superfuerat, factum esse videtur, ut LL. Romanæ prope instar Juris Gentium communis haberentur &c. Unde & Principes liberos in contractibus & fœderibus, in testamentis, aliisque Juris Gentium vel publici artibus, easdem observare solitos, ex hoc ipso Codice nostro passim apparet. Ita video, obligasse sese Imperatores & Reges sub hypotheca omnium suorum bonorum & regnorum &c.* Sed & tantum abesse videtur quibusdam, ut Jus hoc in Principes nostros vim suam non exserat, ut nullibi fere magis, quam in ipsis, vigere censeatur; Subditi enim, *inquiunt*, mediati plerumque statuta regionum particularia habent, quibus reguntur; Immediati vero, cum ipsimet Jus hoc per conventionem receperunt, stare ei tenentur, ut extra casus, in Constitutionibus Imperii expressos, ab eo recedere non possint,

TANTUM!